



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


### **Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestria duo**

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -  
Cum Indicibus

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1674**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10241**



Th. 4745.

Pl. 11  
19



103	104	105	106	107	108	109	110
111	112	113	114	115	116	117	118
119	120	121	122	123	124	125	126
127	128	129	130	131	132	133	134

**CONTINENDI**

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

JOHANNIS STRAUCHI  
JCTI  
Amœnitatum  
JURIS CA-  
NONICI  
Semestre alterum  
CUM INDICIBUS,

---

J E N Æ,  
SUMPTIBUS & TYPIS JOHANNIS WERTHERI,  
TYPOGRAPHI DUCALIS.  
ANNO M DC LXXIV.

JOHANNES STRABONI  
JURIS CA  
NONICI  
Senatus, athenis  
Comitibus

J. V. N. A.  
Senatus & Comitiibus Athenis  
Comitibus



# Amœnitatum Juris Canonici Semestre alterum.

## ECLOGA VII.

### Ad Titulum XIV. De etate & qualitate & ordine Præficiendorum.

#### CAPUT I. ad rubricam.

##### S U M M A R I A.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Cujacii encomium.                            | 5. Leges annaria. Lex Villia,<br>Clogionis. |
| 2. Etatis variæ acceptiones.                    | 6. Leges annariæ in Ecclesiâ.               |
| 3. Vocabulum, etas, tribuitur etiam inanimatis. | 7. Concilii Tridentini novum jus.           |
| 4. Etatis humanæ intervalla.                    |   |



Cujacius, quem non minus verè, quam Cujacii scitè Maufacus in Harpocracione, solum in præcellen-  
 jure Consulem sine collegâ dici oportere, tia.  
 censet, etatis vocabulum variè in jure Ro-  
 mano accipi docet. Quandoque enim pu-  
 pillarem etatem designari, ut cum in pœna. Etatis va-  
 libus judiciis etati succurri dicitur. Quan-  
 doque pubertatem, ut cum suæ etatis aliquem factum dicimus. l.3. piones.  
 C. de testam. tut. Quemadmodum Dio lib. LIII. τὸς ἐν τῇ  
 ἡλικίᾳ puberes vocat, qui nondum pervenerunt ad annum XXV.  
 Aliquando tempus ultra viginti quinque annos; Sic suæ etatis  
 dicimus eum, qui est major XXV. annis. L. Ex duobus ff. de Neg.  
 gest. non qui est annorum XXV. Tribuitur etiam rebus inanima-  
 tis, etas libri, vini, papyri, ædificiorum, instrumentorum, pro ve-  
 tustate, l.1. C.T. Ne quis in palat. l.2. C.T. de long. temp. præscr. Etas  
 libri, etiam inanimatis.



*Ætatis inter-*  
*tervalla.*

libri, Gellio usurpatur, ætas chirographi l. 1. §. 3. C. T. si cert. per. de chirogr. Cæteroquin ætas homini propria est, quæ certis intervallis distinguitur. Et ferè receptum est, quod Seneca lib. 7. de benef. c. 1. docet, septimum quemque annum ætati signum imprimere. Censorinus de die natali c. 14. Ferè enim post septimum quemque annum articulos, & in his aliquid novi natura ostendit, ut & in elegiâ Solonis cognoscere datur: At enim in primâ hebdomade dentes homini cadere, in secundâ pubem apparere, in tertiâ barbam nasci. Artemidorus lib. 2. ονειρ. c. 75. ἐξ ἧ ἀνθρωπίνη γυνεὶ καὶ οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔτη ἐπιτά. Hinc septimo anno infantia terminatur, quemadmodum non solum Philosophi, Varro lib. 5. de LL. Macrobr. lib. 1. in som. Scipion. c. 6. Sed & Juri servant. Ulp. l. 1. §. 2. ff. de admin. & per. tut. l. 8. C. T. de bon. mat. l. si quis infanti. C. de jure delib. Alio septennio pubertas distinguitur. Plutarch. lib. 5. de plac. philos. c. 24. Seneca epist. 12. Tota ætas partibus constat, & orbis habet circumductos majores minoribus, est aliquis qui omnes complectatur & cingat, hic pertinet à natali ad diem extremum: Est alter qui annos adolescentiæ excludit, est, qui totam pueritiâ ambitu suo adstringit. Vide Merillium obs. lib. 1. c. XIV. Inde

*Leges ann-*  
*itaria.*  
*Lex Villia.*

natae sunt leges annariæ, quibus definitur, quo ætatis anno, quæ functio in civitate capessi debeat. Talis erat Lex Villia, à Lucio Villio Tribuno Plebis lata, quâ quot annis nati quemque magistratum peterent caperentve sancitum fuit. Et cautum est postea, ne ante annum ætatis XXV. quisquam in Senatum legeretur. Et in Mæcenatis ad Augustum oratione apud Dionem, ne quis Tribunus Plebis, nisi XXX. nemo Ædilis, nisi XXXVII. nemo Consul fieret, nisi XLIII. annorum. In jure Romano minores XXV. annis à reip. gubernaculis arcentur. l. 8. ff. de Mun. & honor. l. 2. pr. de vacat. & exc. mun. Sed tamen strictam talem observationem remitti Callistratus ait. l. non tantum 11. ff. de Decur. Talis Lex est

*Lex Clogio-*  
*nis.*

*Leges An-*  
*naria in*  
*Ecclesiâ.*

Clogionis II. apud Goldastum tom. 1. Constitutionum. pagin. 4. Lucium Junium Tribunum plebis unicuique magistratui ætatis legem dixisse apud Livium habetur lib. X. Talis lex etiam in Ecclesiâ introducta fuit, ut in Episcopis XXX. anni. cap. cum in cunctis 7. de Elect. quæ olim in cunctis Presbyteris, requirerentur. can.

14. Synodi VI. in Trullo. can. 11. Synodi Neo-Casariensis, can. 17. Synodi Agathensis. Justinianus Nov. 123. c. 13. triginta quinque annos requirit. Apud Judæos in initiandis sacerdotibus ætas triginta annorum desiderabatur. Numer. c. 4. v. 3. Et 1. Chron. 23. v. 3. ubi pro viginti Hebraica lectio triginta habet, & rectè, ut & Chaldaica paraphrasis. Postea viginti annorum numerus à Davide præscriptus fuit. d. cap. 23. v. 27. Et 2. Chron. 31. v. 17. In Diaconis & Subdiaconis olim XXV. annus exigebatur, hodie vigesimus tertius & vigesimus secundus. c. Generalem h. t. in 6. Sanè in beneficii curam animarum non habentibus, quales sunt Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, faciliùs dispensatur. cap. un. in 6. h. t. nisi annexum habeant ordinem Presbyteri, Diaconi vel Subdiaconi, quorum dispensatio summo Pontifici reservatur. Equidem in Concilio Tridentino omnibus Ecclesiarum Cathedralium Canonicis ordo sacer injunctus fuit; sed id communiter non observatur, quoties ab ordinariis Canonicatus conferuntur. Conferre enim solent decimum quartum ætatis annum ingressis. Gloss. in cap. si eo tempore de Rescript. in 6. ut vocem tamen non habeat in Capitulo, donec ad Subdiaconatum pervenerit. Clement. c. ult. h. t. Porro beneficia merè simplicia in septennio conferuntur jure communi: sed concilium Tridentinum annum decimum quartum postulat. Denique multa aliter fanciuntur Concilio isto, quam antiquis canonibus erat cautum. Vid. sess. 7. c. 2. sess. 22. c. 2. sess. 23. sess. 24. c. 12. sess. 25. c. 7.

Concilii  
Tridentini  
nova jura.

## C A P. II.

## Ad cap. 1. &amp; 2. de ætat. &amp; qualit.

## S U M M A R I A.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Unde cap. 1. h. t. desumptum.         | 4. Ad cap. 2. h. t.                    |
| 2. Hoc capitulum ex Baronio exhibetur.   | 5. Pro Cistrensi, legendum; Cistrensi. |
| 3. Quomodo in primâ compilatione habeat. |  |

Cap. 1. unde?

Occasione  
Philippi

Francor. R.

**C**apitulum primum desumptum ex concilio Pictaviensi secundo tempore Paschalis II. anno Domini 1100. celebrato, in causa Philippi Francorum Regis ad pellicem Bertradam redeuntis. Vid. Baronius *ad ann. 1100. n. 19. & seqq.* ubi idem Baronius canones hoc concilio constitutos ex Vaticano Codice refert. Capitulum nostrum ibi ita conceptum habetur: *Ut Abbates, Decani, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant, aut prelationes amittant. Qui Archidiaconatus tenent, Diaconi fiant, qui Presbyteratus, Presbyteri fiant, aut honores amittant. Quod si aliqui, justâ causâ prohibente, Presbyteri aut Diaconi esse non possint, prelationes amittant.* In primâ compilatione ita legitur: *Ut Abbates & Decani & Præpositi q. l. n. f. l. f. a. p. a.* Raymundus omisit verba; *aut prelationes amittant*, quæ in prima compilatione habentur, ut & Hostiensis & Contius observarunt. Verba; *qui verò Archipresbyteratus, Presbyteri fiant*: in veteri Gregoriano non fuisse: sed postea hoc modo adscripta: *Qui verò archipresbyteratus, presbyteri, verbum, fiant*, adjecit Contius, quod suis in libris non fuisse, refert Ant. Augustinus. Unde & in Raymundanâ alio minore caractere id verbi pingitur. De Pictavio *vid. Eclogam II. c. 15.* In capit. 2. rescribit Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo de Episcopo Conventrensi. Gregoriani Censores notant, ceu variam lectionem, alias *Eboracensi* haberi. In Bibliothecâ Salanâ MStis nil tale. Denique nec ratio admittit. Ecclesia enim Conventrensis Cantuariensi Archiepiscopo subest, & nihil cum Eboracensi Archiepiscopo rei habet. Cui ut Archiepiscopo ipsi, nec erat, quod mandaretur à Cantuariensi. Porro & hoc notant Gregoriani; pro *Archidiacono Cistrensi*, legi alibi *Cestrensi*. Sed vera lectio est *Cicestrensi, Chichester*. In versiculo: *Mandamus &c.* ita habetur in compilatione primâ: *quatenus prædictum Episcopum super his vivâ increpatione corripias & castigas*: quæ Raymundo omissa. Item ante verbum, *Committas*, inserta sunt: *omni occasione & appellatione cessante*, itidem à Raymundo neglecta. In versic. *Quod si secus, pro debitam penam*, legi debet cum Barcinonensi, *penitentiam*.

CAP.

## CAP. III.

Ad cap. 7. &amp; 9. x. de ætat. &amp; qualit.

## S U M M A R I A.

1. Capituli 9. argumentum.
2. Sacri ordines quinam intelligantur.
3. Decretum Urbani in can. Nullus. dist. 60. non est Urbani I. Sed II.
4. Concilium Beneventanum, ignotum Criticis Gregorianis, & inde error.
5. Acta concilii Beneventani hujus ubi exstent.
6. Correctio can. 4. dist. 60.

**A**D Cap. 7. dixi Ecloga V. cap. 14. In cap. 9. quaritur, an Subdiaconus in Episcopum eligi possit? Ratio dubitandi, quod Urbanus primus decrevit, non eligi debere in Episcopum, nisi qui in sacris ordinibus. Sacros autem Ordines Diaconatum & Presbyteratum, Subdiaconatum autem non esse inter sacros ordines. *can. non oportet. can. ministrum. distinct. 23. & cap. miramur. infra de serv. non ordin. cavetur.* Ratio decidendi, quod hodie Subdiaconatus inter Sacros Ordines computetur. Quod pro dubitandi ratione adducitur, decretum Urbani, extat hoc *in can. nullus Episcopum. dist. 60.* Sed nota, Urbano primo hoc perperam tribui ab Innocentio Papâ, quod est Urbani II. Id decretum in Concilio Beneventano factum fuit, ut notat Ivo Carnotensis *parte 5. Decreti cap. 72. & libr. 3. Panormie. c. 5.* Hoc concilium ignorantes Critici Gregoriani, de Beneventana synodo, quæ tempore Victoris III. cui Urbanus II. successit, intelligendum admonuere *ad can. innovamus. 3. dist. 60. sed perperam.* Extant enim acta Concilii Beneventani ab Urbano II. celebrati anno MXCI. in quibus decretum illud haberi testatur Dominus Stephanus Baluzius ad P. de Marcâ. Tanto tempore post concilium, centum & amplius post Urbanum annis, ad Innocentii usque tempora, dubitatum est, an Subdiaconus in Episcopum eligi possit. Edidit jam nominatus Baluzius concilium Beneventanum *lib. 8. cap. 13. Petri de Marca de Concordiâ Sacerdotii & Imperii.* Unde corrigendus est *canon. 4. dist. 60.* Nullus deinceps in episcopum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiosè vivens inventus est. Sa-

*Sacri Ordines quinam appellentur?*

*Ostenditur Urbanum I. nihil tale statuisse. Concilium hoc non est illud Victoris III.*

*Edidit hoc Baluzius.*

*Can. 4. dist. 60. corrigendus.*

eros autem Ordines dicimus Diaconatus atque Presbyteratus. Hos siquidem solos *primitivâ lege ecclesia habuerit, super his solis habemus præceptum Apostoli: Subdiaconis verò, qui & altaribus administrant, oportunitate exigente concedimus, sed rarissimè, si tamen spectatæ sint religionis, & scientiæ, & reliqua.*

## CAP. IV.

Ad cap. 10. x. de ætat. &amp; qualit.

## SUMMARI A.

- |                                     |   |
|-------------------------------------|---|
| 1. Titulus S. Crucis in Hierusalem. | 3. Decanus S. Quiriaci Pruviniensis.                        |
| 2. Monasterium S. Quirici.          | 4. Monachi olim non erant inter clericos, & quando recepti. |

Tit. S. Crucis in Hier.

Monasterium Quirici.

Monachi clerici non sunt.

**I**nnoentius III. scribit Presbytero Cardinali tituli S. Crucis in Jerusalem. Est unus ex viginti octo titulis, qui Presbyteris Cardinalibus sunt assignati. Laudat diligentiam, quam super monasterio S. Quirici reformando adhibuerit. Monasterium hoc an sit de *Squire* vulgo *de regulâ*, cujus fundator Wilhelmus Sancius, filius, Burdegalensium Comes, & totius Vasconiæ Dux, juxta cum ignarissimis scio. In martyrologiis Latinorum & menologio fit mentio S. Quirici & Julittæ martyrum, Tarsi Ciliciæ occumbentium. Translata fuisse horum martyrum corpora in Galliam per Amatorem, Episcopum Antisiodorensis, prædecessorem S. Germani, cum in orientem peregrinatus esset, refert Baronius martyrologio ad sextum decimum Kal. Julii. Meminit Decani S. Quiriaci Pruviniensis, de *Provins*, Honorius III. capit. compilat. 5. de *convers. conjug.* Mandat Pontifex Monachum institui abbatem. Ante Siricium monachi non erant inter clericos *can. monachos 29. caus. 16. qu. 1.* A Siricio admissi in Clerum, & ad Abbantias poterant promoveri.

## CAP. V.

Ad cap. XI. &amp; XII. x. de ætat. &amp; qual.

## SUMMARI A.

- |                                  |                        |
|----------------------------------|------------------------|
| 1. Decretalis hac unde excerpta. | 3. Integra decretalis. |
| 2. Inscriptio restituitur.       | 4. E-                  |

4. Emendatio textus.

5. Laudunum, Laon.

6. Monasterium S. Vincentii ordinis Benedicti.

7. Adelinus Laudunensis.

8. Præmonstratenses cur monaste-

rium inhabitent, cum sint Canonici.

9. Quo canone cautum, ne Canonicus efficiatur Monachus.

10. Memorialis cuculla, Florellus, Cucullio, Cuculli Bardaici, quales habitus.

**D**iximus ad Cap. XI. Ecloga V. cap. 15. Capitulum XII. est decretalis Innocentii III. quæ habetur libro I. Regesto XIII. unde restituenda est inscriptio, quæ ita habet. R. Abbati S. Martini Laudunen. Præmonstratensis ordinis. Et ad hunc quoque directa est Decretalis nostra, quæ ita habet integrè: Intelleximus, quod cum antequam esses adsumtus ad regimen Abbatix in m. t. f. l. c. a. m. S. Vincentii Laudunensis Nigri ordinis a. U. c. a. in ipsius habitu p. d. a. c. r. d. M. & a. religiosorum c. a. p. d. curavisti redire. Et paulò infra: exigentia meritorum f. t. t. f. p. u. in Pastorem. Quia igitur in suscepto regimine laudabiliter diceeris profecisse, ne occasione m. q. i. p. m. protraxisti, quasi de ipsâ teneram conscientiam retinendo. &c. At post: *Attendentes.* Et infra: *Discretionem tuam monemus attentius & hortamur per Apostolica scripta tibi mandantes, quatenus circa curam gregis tibi commissi sollicitudinem gerere s. i. &c.* Datum Lateran. VII. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno tertio decimo. Rescribendum igitur pro, S. Innocentii, S. Vincentii Laudunensis. Laudunum, Laon, civitas Ducis & Paris Franciæ titulo ornata, ejus episcopus Remensis suffraganeus. In ejus suburbiis Monasterium S. Vincentii Martyris, ordinis S. Benedicti à Bruniehilde Reginâ fundatum. In quo resedisse XII. Canonicos ex monumentis veteribus, refert Bosquetus. Sed in eorum locum Adelinus Laudunensis episcopus substituit totidem monachos, à monasterio S. Benedicti super Ligerim sito evocatos, quibus Melachimum quendam præfecit Abbatem. Sedit Adelinus, alias Adelmus circa annum 921. ut habet Flodoardus in chronico. Alius atque Adalbero, qui & Azelinus circa A. D. 980.

*Inscriptio  
restituatur.  
Textus capituli.*

*Monasterium S. Vincentii.  
Laudunum.*

*Adelinus.*

Sed

*Præmon-  
stratensibus  
cur mona-  
sterium as-  
signetur?*

*Ne quis Ca-  
nonicus re-  
gularis fiat  
monachus.*

*Memorialis  
cuculla, seu  
cuculla ad  
memoriam.  
Flocellus.*

*Cuculli Bar-  
daici.*

Sed cur Præmonstratensium habitatio monasterium dicitur, cum sint Canonici? Ab Honorio II. & Innocentio III. sub nomine & regulâ Canonice approbati. Nimirum monasterium & monachis & Canonicis tribuitur. Additio 3. *Capitularis Ludovici c. 76. Ut Canonici clerici, qui in civitatibus vel Monasteriis degunt.* Carolus Calvus in synodo Sueffionensi. *act. 7. cap. 1. Ut missi nostri per civitates & singula monasteria, tam Canonice quam Monachorum sive Sanctimonialium &c.* Nempe propter communem eorum vitam, quam in cœnobio colunt.

Dicit Innocentius, in canone cautum esse, ne quis canonicus regularis efficiatur monachus. Hujus canonis fit mentio in *can. 26. caus. 18. qu. 2.* Habetur autem apud eundem Gratianum *can. mandamus 2. c. 19. qu. 3.* Ubi Urbanus II. ita: *Mandamus, & universaliter interdiximus, ne quis canonicus regulariter professus nisi, quod absit, publicè lapsus fuerit, monachus efficiatur.* Sequitur & sanctio ibi, si quis decreto contraveniat, nempe ut ad ordinem canonicum redeat, & memorialem cucullam deferat,

& ultimus in choro maneat. *Memorialis cuculla* in nostro capitulo dicitur *cuculla ad memoriam.* Aliàs legitur; *memoriale sue præsumptionis, cucullam.* Hæc cuculla *flocellus* dicitur Gofrido Vindocinensi *lib. 2. Epist. 7.* ibi: *Dominus Ernaldus, quem Decanum vestrum dicitis, si sibi secundum justitiam placuisset, teste flocello de capite suo, potius in nostrâ quàm vestrâ sorte manere debuisset.* Est autem monasticus habitus, tegumentum capitis,

non totius corporis, *σκέπασμα τῆς κεφαλῆς, ὃ κοκῆδιον καλεῖται*, Sozom. *lib. 3. c. 14.* Julio Capitolino Cucullio dicitur: *obrecto capite cucullione.* Glossæ veteres *Cucullio*: *Σκεπαστῶν.* Cuculli Bardaici, à Bardæis Illyrici populis. *Ἰλλυριοὶ δῆλοι στρατηγῶν ἀρχαίοι*, in Glossis; Minimè à Bardis Galliæ. Græcè *βαρδαίοι* vel Ptolomæo *Ουαρδαίοι.* Sic *Ἀρχαῖος*, Græcis *κόκκυσ* significat *κόρυον* vel apicem. Inde *cuccus*,

& *cucullus*, tegmen capitis acuminatum in summo.

C A P.

## CAP. VI.

Ad cap. accepimus 13. de æt. &amp; qual.

## S U M M A R I A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Ordinatio sine titulo olim non valuit.                    | 5. Acephali, ex concilio Moguntino.           |
| 2. Canon Chalcedonensis adducitur, & cum Gratiano confertur. | 6. Locus parallelus can. Nulla, distinct. 93. |
| 3. Cyprianus adducitur.                                      | 7. Osmond, acephalus.                         |
| 4. Clerici à titulo suo non possunt divelli.                 | 8. Mutatio hujus juris.                       |

**G**Ratianus ex can. *Neminem*. & can. *Sanctorum*. dist. LXX. Ordinatio quorum ille ex concilii Chalcedonensis can. VI. Hic ex *sine titulo* concilio Urbani II. Placentiæ habito desumptus est, ostendit, olim absolutam ordinationem, uti appellatur; id est *olim non valuit*. talem, quæ fiat sine titulo, ἀπολύτως non valuisse, sed fuisse irritam. Græcè ita habet canon Chalcedonensis: Μηδένα ἀπολυτωῶς χειροτονεῖσθαι μήτε πρεσβύτερον, μήτε Διάκονον, μήτε ἄλλωσ τινά τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ ταγματι. εἰ μὴ εἰδικῶς (ita habetur ap. Justellum & rectè, non ut Gregoriani, ἰδικῶς.) ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως ἢ κώμης ἢ μαρτυρίου, ἢ μοναστηρίου ὁ χειροτονεῖσθαι. Ἰπικηρύτῃσσι. Τῆσ ἢ ἀπολύτωσ χειροτονεῖσθαι ἄρχαισ ἢ ἀγία σύνοδος ἀκυρον εἶχειν τὴν τοιαύτην χειροθεσίαν καὶ μηδαμῶσ δύνασθαι ἐνεργεῖν ἐφ' ὕβρεσ τῶ χειροτονήσωντ. Id est, *neminem absolute ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec quemlibet omnino eorum, qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter (pro quo, manifestè perperam ponit Gratianus) in ecclesiâ civitatis, aut vici (possessionis, apud Gratianum) aut martyrio vel monasterio, is qui ordinandus est, predicetur (Gratianus; qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatæ vocabulum) eorū autem, qui absolute ordinantur, decrevit sancta synodus irritam haberi ejusmodi ordinationem & nusquam posse operari ad injuriam ejus, qui ordinavit.* Gratianus verò ita: *decrevit vacuam habere manus impositionem, & nullum*



**Ordinandus  
debet pro-  
clamari.**

*tale factum valere ad injuriam ipsius, qui eum ordinavit.* Quod ait canon: ὁ χεσθτος μὲν & ἴκινε ἄριστο. Qui ordinandus est, debet prædicari, proclamari. Id est, palàm & publicè nominatus recipiatur in ministerium certæ alicujus Ecclesiæ, quod posteriores dixerunt, *neminem sine titulo ordinari debere*, ut benè observat Justellus. Pertinet huc egregius locus Lampridii in Alexandro: *Ubi aliquis, inquit, voluisset vel Rectores provinciis dare, vel Praepositos facere, vel procuratores, id est, Rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus, si non probasset, subiret pœnam capitis.* Dicebatque grave esse, quum id Christiani & Judæi facerent, in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita. Itaque ordinandi nomen plebi publicè proponebatur, factâ omnibus potestate quidquid vellent eis obijciendi. Vide Balsamonem in *can. 5. concilii Laodicensi* & Zonaram in *can. 1. Apostol.*

Exstant hujus moris vestigia apud Cyprianum *lib. 1. Epist. 4.* postquam retulit, quomodo Eleazarus Aaronis filius sacerdos fuisset creatus. Coram omni synagogâ jubet Deus constitui sacerdotem, ut plebe præsentem vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & *quæ sequuntur.* Idem libro *5. Epist. 5.* Presbyteros, diaconos & plebem universam alloquitur ita: *In ordinandis clericis solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare.* Igitur Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus & minores ordines nulli sine titulo, sine altari, sine parœciâ aut officio Ecclesiastico dabantur, cui etiam nominatim debebant adscribi, nec poterant inde divelli. *can. Sanctorum. dist. 70.* Ergo tum temporis omnes clerici locales erant, ut loquitur *Concil. Valentin. Hispania, can. VI.* id est, certum locum & titulum habebant, in quo collocabantur ab ipsâ inde ordinatione, & monstro simile erat clericus sine titulo, quales Acephalos vocabant, *Concil. Mogunt. I. can. XXII. De clericis vagis, seu Acephalis, id est, de his, qui sunt sine capite, neq; in servitio domini nostri, neq; sub Episcopo, neq; sub Abbate, sed sine canonicâ vel re-*

**Acephali.**

Ecloga VII.

gulari vitâ degentes, hos neq<sup>3</sup> inter laicos secularium officiorum studia, neq<sup>3</sup> inter clericos religio tenet divina. Similis locus est, quem allegat ex concilio Parisiensi Gratianus in can. Nulla. dist. XCIII. Talis Acephalus erat Osmond, cujus meminit Adamus Bremensis lib. 3. c. 15. Sed hæc veteris Ecclesiæ mos in tantum mutavit, ut ex capitulo isthoc Innocentii III. ordinatio sine titulo non sit nulla, teneatur tamen ordinans ordinato providere, id est, alimenta præstare, donec ei beneficium Ecclesiasticum conferat c. 13. h. cap. Episcopus c. cum secundum. Infra de præbend.

CAP. VII.

Ad c. Cum sit. 14. &c. ult. de æt. & qual.

S U M M A R I A.

- 1. Ordinandi à Presbyteris informabantur, vel in monasteriis educabantur.
- 2. Ordinandis codex divinorum officiorum tradebatur.
- 3. An hæc decretalis ad Capitulum Bremense rescripta.
- 4. Episcopus Calliensis.
- 5. Rescripta est ad Capitulum Mediolanense.
- 6. Summa decretalis istius.

**C**Apit. XIV. revocat pristinum Ecclesiæ institutum. Olim mos erat, ut ordinandi Presbyteris informandi in Ecclesiasticâ disciplinâ subicerentur. Vide Concil. Vasense. Vel etiam ut in monasterio educarentur. can. Priscis. dist. 55. Et cum Presbyteri ordinabantur, solebat eis tradi libellus officialis, seu codex divinorum officiorum, quæ Agenda, Kirchen Agenda, vocamus, ne rerum sacrarum imperiti ad Ecclesias promoverentur. Concil. Toletan. IV. unde sumti sunt can. XXV. & can. quando. 2. dist. XXXVIII.

Cap. ult. h. t. est Honorii III. ad Capitulum Bremense, ut habent exemplaria vulgata. MSCtæ bibliothecæ Salanæ membra- ad quos re- næ vel; Capitulo Brien. Vel; Capitulo Benev. Vel; Capitulo Bre- scripta. mon. Reliqua, & quæ Cironius vidit, nullam habent epigraphen: Unum; Archiepiscopo Mediolanensi: Capitulum Bremense locum hic obtinere nequit, quia agitur in istoc capitulo de Episcopo Cal-

*Summa capituli.*

Calliensi. Ita enim legendum est, non Calinensi, qui nusquam terrarum est. - At quid Calliensi Episcopo cum Capitulo Brementensi? Illius enim diœcesis in Marchia Anconitana vertitur, id est, Piceno annonario. At hæc provincia in diœcesi Vicarii Italiae est, qui Mediolani morabatur. Quare assentior Cironii libro, de Mediolanensi, non quidem Archiepiscopo, sed Capitulo, summa autem Capituli est de Calliensi Episcopo, qui quod nunquam didicisset Grammaticam, nec legisset opus Ælii, atque adeo omnino rudis esset, ideo jubetur ab Episcopatu removeri.

### CAP. VIII.

#### Ad cap. sing. x. de sacrâ unctiōe.

#### S U M M A R I A.

1. *Vera lectio capituli.*
2. *Scriptum est ad Archiepiscopum Trinonitanum.*
3. *Error Gregorianorum.*
4. *Species capituli hujus formatur.*
5. *Brandiruberensis Episcopus.*
6. *De unctiōibus varii generis.*
7. *Unctiō baptismi, ritus antiquus.*
8. *Cur in Ecclesiis reformatis abolitus.*
9. *Ceremonia hæc in concilio Laodicensi introducta.*
10. *Oleum sanctum triplex.*
11. *Oleum Catechumenorum.*
12. *Oleum infirmorum.*
13. *De consecratione oleorum, remissivè.*
14. *Formula confirmandi.*
15. *Effectus. Imprimitur character indelebilis.*
16. *Unctiō, sacramentum, Regum non item.*
17. *Baculus Pastoralis, sceptrum, pedum, ferula, cambuca.*
18. *Baculus in degradatione frangitur. Exempla.*
19. *Pontifex non utitur baculo, cum propter historiam, tum rationem mysticam.*
20. *Qualis hæc historia.*
21. *Mystica ratio.*

*Vera lectio.*

**C**onstituenda nobis ante omnia est lectio. In libris vulgatis vel deest omninò inscriptio, vel Innocentium præfert, sed absque mentione ejus, ad quem rescribitur: Ex gestis ergo Innocentii supplendum. Ex quibus constat, scri-

scriptam esse epistolam hanc ad Archiepiscopum Trinonitanum, *Ad Archiepiscopum*  
 Primatem Bulgariae & Blachiae. Errant ergo Gregoriani, qui ad *Trinonita-*  
 Patriarcham CPolitanum scriptam notant. Species capituli hae *num.*  
 est: Venit ad sedem apostolicam, *quis?* Bracarenis Epi- *Species cap.*  
 scopus; Ita respondent libri nostri. Sed perperam. Agitur e-  
 nim de quodam Episcopo Graeco, non Hispaniensi, qualis Braca-  
 rensis. Quis ergo? Membranae Salanae: *Brambrenn. Bransi. Brandiru-*  
*benn.* Gregoriani *Brandiraben.* probant. Rescribendum ex *ber. Episc.*  
 stis Innocentii; Brandiruberenis. Qui in ordinatione non ac-  
 ceperat sacram unctionem, ex consuetudine Bulgariae. Pontifex  
 iussit quod deerat suppleri, & per Albanensem Episcopum assi-  
 stentibus ei duobus Episcopis secundum morem Ecclesiae Roma-  
 nae chrismate inungi. Diversae unctiones in Ecclesia Catholica *Unctiones*  
 adhibebantur, nempe in baptismo, confirmatione, consecratione *varia.*  
 Episcopi, ordinatione sacerdotum, coronatione Imperatorum &  
 Regum, extrema unctione, consecrationibus Ecclesiarum, Altari-  
 um & vasorum sacrorum. Unctio baptismi differt a confirma- *Baptismi.*  
 tionis unctione, quod illa a quolibet sacerdote, haec a solo Episco-  
 po fieri debeat. *c. quamvis. 4. dist. 68. c. presbyteros. 2. dist. 95. c. un-*  
*S. per frontis chrismationem. b. t. c. quanto. 4. supra de consuet.* Ritus *Cur in Eccl.*  
 antiquissimus iste in nostris Ecclesiis sublatus est. Ratio fuit, *reformat.*  
 quia sub initium reformationis periculum esse videbatur, ne ho- *sublatus.*  
 mines simplices fortean chrisma praerent ipsi baptismo, cum  
 chrisma e re longè pretiosiori constare viderent, quàm bap-  
 tismum, cui nuda aqua adhibetur. Instituta autem fuit haec cere-  
 monia in concilio Laodicensi. Canon est: *Quod oportet eos*  
*qui baptizantur, post baptismum inungi super caelesti chrismate, & re-*  
*gni Christi participes esse c. 48.* Qui canon est in Codice canonum  
 Ecclesiae universae 152. *ὅτι δεῖ τῆς ὀπιζομένης μετ' τὸ βάπτισμα*  
*χερῶν χρίσματι ἐπιχρῆναι καὶ μετόχως εἶναι τῆς βασιλείας τοῦ*  
*Θεοῦ χριστοῦ.* Igitur secundum ius Canonicum omnes Christiani  
 bis ante baptismum unguuntur, oleo benedicto, primum in pecto-  
 re, deinde inter scapulas, & bis post baptismum in confirmatione,  
 scilicet chrismate sancto in vertice & deinde in fronte. Est enim  
 oleum sanctum triplex, quod per Episcopos in die Coenae Domini *Oleum san-*  
*cto. Eū triplex.*

**De primo.** solenniter consecratur, de quibus oleis *in can. un. h. t.* Primum oleum chrisma sanctum dicitur, quod fit ex oleo olivarum & balsamo, die coenae domini ab Episcopo precibus & signo crucis inhalatione & salutatione confectum, cum quo & benedicuntur fontes baptismatis, calix, patera, altare, puer baptisatus in vertice & fronte, & Episcopi, qui consecrantur in manibus & capitibus. *d. can.* Et Pontifex quidem Romanus in capite ungitur, ut demonstretur principatus ecclesiae; ut ait Innocentius noster *h. t.* Et omnes fideles baptisati, cum confirmantur. Hoc oleum singulis annis est consecrandum & innovandum, & mittitur ab Episcopis ad subditos sibi Presbyteros. *can. 122. de consecrat. dist. 4.*

**Alterum oleum Catechumenorum.** Alterum oleum sanctum dictum est oleum Catechumenorum, quo inunguntur baptizandi inter scapulas & in pectore, & manus sacerdotis, cum ordinatur, & Principes & Reges in brachio, dextro & humero. *cap. un. §. Unde in humero. h. t.* Item Ecclesia & altare ante chrisimationem.

**Tertium infirmorum.** Tertium oleum sanctum dicitur infirmorum, ex puro oleo olivae, quo moribundi in articulo mortis unguuntur, de quo *infra tit. de extrem. unct.* De consecratione horum oleorum, formulam & ritibus consecrationis & aliis tractat Gvilielmus Durandus *lib. 5. Ration. div. off. c. 74.* Forma conferendi chrisma habetur in Pontificali, ut dum chrismate fit crux in fronte confirmati dicat

**Formula confirmandi.** Episcopus: *Ego consigno te signo crucis & confirmo te chrismate in nomine Patris.* Inde accedit & manus impositio. *can. de his. 3. can. manus. 4. de consecr. dist. 5.*

**Effectus.** Effectus est, ut unctione Pontificis imprimatur ita character, qui deleri & tolli non possit, ideoque olim Pontifices mitram suam, seu Cidarim movere, & caput detegere prohibebantur. *c. 21. Levit. την κεφαλήν σου δὲ ποικιλαρῶσθαι, caput suum non decidet, ut vertunt septuaginta.* Hæc unctio Episcoporum statuitur esse sacramentum: Unctio autem Regum non est sacramentum, nec imprimit characterem, sed est duntaxat ceremonialis, seu solennitas.

**Baculus Pastoralis.** Consecrationem sequitur traditio baculi Pastoralis, quia baculus est signum Pastoralis dignitatis. *can. Nullus Episcopus de*  
Con.

*Consecrat. dist. 1. potestatis ligandi & solvendi. Innocentius III. lib. 2. regest. epist. 29.* Et olim Episcopi à Principibus per baculi Pastoralis traditionem de rebus Episcopatus investiebantur. Hic baculus & virgo Ivoni *epist. 8. & 236.* & ferula pastoralis apud Rheginonem *chron. lib. 2.* & sceptrum ab Ottone Frisingensi *lib. 2. c. 6.* Et pedum pastorale, & cambuca vocatur. Unde in degradatione demitur, uti in degradatione Benedicti, cui Leo VIII. Pontifex discidit pallium, & baculum suffregit, teste Rheginone. *lib. 2. chronici.* Et in degradatione Photii ei ademptus est baculus in synodo CPTanâ *8. act. 7.* Sic & deposito restituto, omnia illi reddebantur. *can. 27. Concilii Toletani IV.* Pontifex autem Romanus non utitur baculo pastorali, cum propter historiam, inquit Innocentius, tum propter mysticam rationem. *Quæ Pontifex cur non utitur baculo.*

verò Historia illa? Explicat eam Innocentius noster mysteriorum missæ *lib. 1. c. 62.* & Guillelmus Durandus *in rationali lib. 3.* Nimirum B. Petrus Apostolus Martialem discipulum suum (quem dominus inter discipulos constituit, cum diceret: Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis &c.) misit cum quibusdam aliis ad prædicandum Germanis, quo in via ad viginti diætas defuncto, Fronto collega ejus rediit ad nunciandum hoc Petro. Cui Petrus: Accipe hunc baculum, & tangens illum dic: Surge in nomine Domini & prædica. Ille verò in quadragesimo die à tempore mortis illius tetigit eum, & surrexit, & prædicavit. Et ita Petrus baculum à se removit, & subditis dedit, nec recuperavit. Aliter recensetur alibi. Nempe B. Petrus misit baculum suum, Eucherio primo, Trevirorum episcopo, quem una cum Valerio & Materno ad prædicandum Evangelium genti Teutonicæ destinavit. Cui successit in Episcopatum Maternus, qui per baculum Petri de mortuis suscitatus fuerat. Quem baculum usque hodie Trevirensis Ecclesia servat. Et ideo Papa in illâ diœcesi utitur baculo, & non alibi. Mystica ratio vel hæc redditur, quod quia baculus Episcopalis in summitate est curvus, quasi ad attrahendum, ideo in Romano Pontifice eo non sit opus, quia nullus ab eo finaliter divertere possit. Vel, quia per baculum designatur coërcitio, quam ceteri quidem Episcopi ab homine recipiunt, ideo.

ideo & à suis superioribus baculos recipiunt. Romanus verò Pontifex, quia potestatem à solo Deo habet, ideò baculo non utitur. Ita Durandus. Vel quia creditur esse signum limitatæ jurisdictionis, at Pontifex universalem præterdit. Vel denique in odium investiturarum per virgam, quam damnaverunt semper Pontifices, eos abjecisse baculum videntur. Consecrationem Episcopi sequebatur investitura Regalium, quæ fiebat à Principe, per traditionem annuli & baculi pastoralis temporalis.

## CAP. IX.

## Ad cap. 1. &amp; 2. x. de sacram. non iterand.

## S U M M A R I A.

1. *Supplenda inscriptio.*                      3. *Legendum: Capitulo Bremensi.*  
 2. *In inscriptionem inquiritur.*            4. *De Waldemaro intruso.*

*Inscriptio  
suppletur.*

*Waldemary  
intrusus.*

**I**N inscriptione capituli 1. addendum ex compilatione tertiâ Episcopo, Heliensi Episcopo. Quod etiam Gregoriani monere anticipaverunt. Capitulum secundum, editione vulgata, inscribitur: Archiepiscopo Londoniensi, vel Lugdunensi. Nec Correctores Romani mutarunt. At in MStis dirigitur Capitulo Bremensi, & rectè. Agitur enim de Waldemaro in sedem Archiepiscopalem Bremensem intruso. Hic Waldemarus filius fuit Canuti, qui se Daniæ Regem mentiebatur, contra Waldemaram, verum Daniæ Regem, & dum esset Slesvicensis Episcopus, regnum sibi voluit usurpare. Rex verò captum eum in vinculis detinuit. Inde liberatus Hartvico Bremensi Archiepiscopo anno 1207. defuncto, spretis Hamburgensibus, ad quos jus suffragii ab antiquo pertinebat, Bremenses Waldemaram, jam olim Slesvicensem episcopum, at nunc abdicatum, Bononiæque studiis literarum incumbentem elegerunt. At Waldemarus re desperatâ ad inimicas Pontifici Innocentio III. partes Ottonis Imp. transiens, ope Bernardi Saxoniz Ducis, contra Gerhardum Osna-brugensem Episcopum à Bremensibus postulatam & ab Innocentio III. confirmatum, inducitur. Vide Abbatem Stadensem, Kranzium *lib. 7. metrop. c. 31. & Saxon. lib. 7. c. 27.* historiam Archiepisc. Bremens. *p. m. 108.*

CAP.

## CAP. X.

## Ad cap. I. &amp; 2. x. de Filiis Presbyt.

## S U M M A R I A.

1. *Decretalis, pars concilii Pictavi.*  
 2. *De capitulo secundo. Lincolnia, urbs Episcopalis. Remigius, quis.*  
 3. *Capit. 2. pars capituli. Ex insinuatione.*  
 4. *R. Sigla, quem designet.*  
 5. *Textus enarratur, ex compilatione prima, & confertur cum Raymundo.*

**C**apitulum 1. est pars decreti concilii Pictaviensis, quod in causâ Philippi Francorum Regis ad pristinam adulteram Bertradam redeuntis tempore Paschalis Papæ II. celebratum anno 1100. Vide Ivonem *epist.* 137. Baronium *ad annuæ* 1100. a. n. 19.

Capitulum 2. est Alexandri III. ad Lincolnensem electum. Lincolnia veteribus Lindocolnia urbs episcopalis Angliæ, sub Archiepiscopo Cantuariensi. Sedes Episcopalis huc translata est ex villa Dorcestriâ per Remigium ex Fiscanensi in Normanniâ monacho Episcopum. Est pars capituli, *Ex insinuatione, de jure Patronatus.* R. Presbyter forte Remigium denotat, non Reim. neque Rog, ait Ant. August. Unum MStum Salanum Robertum nominat. Textus ita incipit in primâ compilatione: Ex insinuatione Prioris & Fratrum de Marcellinæ auribus nostris innotuit, quod R. Presbyter, tacitâ veritate, quod esset filius S. per fraudem i. a. n. u. i. E. de Bileshi, (alii de Bilesbi, de Blifebi Barcinon. de Lesbi Tarraconensis.) q. p. e. m. c. e. quia vero fraus sive dolus nulli debet præstare patrocinium. d. t. (id est discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus) per A. f. m. qua infra XL. (alii LX.) dies post harum susceptionem literarum rei veritatem inquiras diligenter, & si tibi c. q. m. R. f. i. f. g. & q. P. ejus i. e. m. n. o. literis n. i. exinde omni oc. & ap. cess. (id est, omni occasione & appellatione cessante,) amoveas.

C

CAP.



## CAP. XI.

Ad cap. 3. &amp; 4. x. de Fil. Presbyt.

## S U M M A R I A.

- |                               |   |
|-------------------------------|---|
| 1. Capitulum 3. unde?         | 3. Capitulum 4. pars capituli; Meminimus. Qui cler. |
| 2. Scriptum Wigorn. episcopo. | 4. Plenius exhibetur.                               |

Capitulum  
3. unde?  
Scriptum  
Wigorn.  
Episcopo.

**C**apitulum III. est pars cap. Inter cetera de cler. conjug. in 1. compilatione, ut notat Alanus ad illam, & disertè præscribit compilatio. I. Et est ibi cap. 4. Rescriptum autem est ad Episcopum Wigorniensem, ut notat Anton. Augustinus. Vigornia urbs episcopalis Angliæ Worcester sub Archiepiscopo Cantuariensi, ut alibi dixi.

Capitul. 4.  
pars capi-  
tuli;  
Meminim9.  
Qui cler.  
Plenius ex-  
hibetur.

Capit. 4. est pars cap. *meminimus. Qui clerici vel vov.* à Contio plenius quam à Raymundo editum. Adde cap. 9. de Appellat. Ita incipit in 1. collectione: *Conquerente nobis Milone Clerico auribus nostris innotuit, quod cum R. Presbyter Ecclesiam B. Mariae de Vic. (In Concil. parte. 19. cap. 1. de Wicun. Contius & Raymundus de Unig.) tanquam persona diutius habuisset, & post mortem ejus M. à Ricardo Pasecorde (Raymundus, pro Pasecorde, posuit, possessori. In concil. post mortem ejus idem Milo à Ricardo Paciford.) domino fundi fuisset presentatus R. filius ejus presbyteri &c. Reliqua ut apud Raymundum. In fine autem adduntur hæc, à Contio & Raymundo omissa. Et memoratum M. si tibi ad ipsam Ecclesiam fuerit presentatus ab eo, ad quem representatio spectare dignoscitur, ibi, dummodo alius idoneus sit, contra. & ap. cess. (contradictore & appellatione cessante) non post ponas recipere, ipsumq; facias predictam quiete possidere Ecclesiam.*

## CAP. XII.

Ad cap. V. &amp; VI. eod. tit.

## S U M M A R I A.

- |                                      |                              |
|--------------------------------------|------------------------------|
| 1. Capitulum 5. ad quem?             | 4. Attitulare, quid verbi?   |
| 2. Ad Londinensem.                   | 5. Capituli 6. varia lectio. |
| 3. Capella S. Laurent. de Novoburgo. | Est                          |

**E**st ejusdem Alexandri, sed ad quem? *Londonensem Episcopum.* Raymundus, Gregoriani *Lugdunensem.* Compilatio I. *Ludonensem.* Veteres quaedam editiones, *Ludensem.* Sed Londinensem malim: Nam & antecedentia & consequentia capitula ad Episcopos Anglicanos sunt. Prima compilatio nomen Capellæ, quod Raymundus omisit, exprimit, capellam scilicet Ecclesiæ *Capella S. S. Laurentii de Novoburgo.* Ita habent verba: *Cum ipsum ad Laurentii Capellam Ecclesiæ S. Laurentii de Novoburgo, quam ei concessisti, & de Novoburgo assignasti, attitulasses, & in eadem in presbyterum ordinasses.* Ita & in lib. conciliorum, in quibus mendosè articulasses. *Attitulare, quid verbi.* titulare est titulum seu Ecclesiam assignare. Sequitur in primâ compilatione: Ecclesia ministravit. *Quia verò ad nostrum spectat officium viris Ecclesiasticis paternâ provisione consulere,* quod Contius & Raymundus præterierunt. Et postea: *Quod Pater ejus presbyter in præscriptâ Ecclesia ministravit, quando eam sibi assignasti, ipsam ei dilatione & appellatione cessante restituas & in pace dimittas a. a. f. q. i. i. u. e. V. si te ignorante, quod pater suus in eâd. ministraverit ipsam sibi assignasti.* Et postea: *sustentari, eadem nullum super prædictâ Ecclesiâ gravamen inferas, vel molestiam.*

Capitulum VI. est ad Oxoniensem Episcopum. *Compilatio I. & Membranæ Salanæ optimæ Exoniensem, Exonia Exeter/ varia lectio.* urbs episcopalis Angliæ, Ecclesia *de Saleb.* In primâ collectione *de Salaberâ.* De Sabel Contii libri. *De Salebi* in concil. *De Saladun.* MStum Academiæ Salanæ unum. Post verba: *Filius Sacerdotis &c.* sequitur in compil. prima & libris Concil. *Super quo utiq; discretionem tuam, sicut dignum est, in domino commendamus, & in domino providentiam tuam gratam gerimus admodum & acceptam.* Et paulò post: *Ecclesiastici beneficii provisione, dicta compilatio, perceptione.* Inde immediatè sequitur. *Discretionem tuam per Apostolica scripta monemus,* quod omisit Raymundus, & porro: *Honestum presbyterum cum assensu ejusdem clerici infra XL. dies post harum susceptionem literarum contrad. & appellatione cessante invenire studeas:* Et postea. Eidem Ecclesiæ

in suo ordine seruiendo *divino intuitu quoad vixerit nostrâ & tuâ autoritate pacificè. &c.*

## C A P. XIII.

## Ad cap. 7. de Fil. Presbyt.

## S U M M A R I A.

- |  |  |
|--|--|
| 1. <i>Inscriptio restituitur.</i>                              | 4. <i>Ecclesia de Viverton.</i>        |
| 2. <i>Varia lectio.</i>  | 5. <i>Withorna Episcopalis Scotia.</i> |
| 3. <i>Abbas à Pontifice non Frater, sed Filius appellatur.</i> | 6. <i>Candida Casa.</i>                |
|  | 7. <i>Compilationis I. lectio.</i>     |

*Inscriptio restituitur.*  
*Varia lectio.*

**I**Nscriptio ita est restituenda: *Idem venerabilibus fratribus R. Cantuariensi Archiepiscopo totius Angliæ Primati & A. S. L. & R. Wigorniensis episcopo.* Vide Compilationem primam. In initio Capituli pro siglâ G. ponitur W. & infra expressè nominatur Walterus, Ita etiam in Tarraconensi veteri, teste Ant. Augustino legitur. MStus unus de Salanis Wilhelmum exprimit. Sequitur ibi: *Quod ad dilecti filii nostri Abbatis de Castini presentationem in quoddam beneficium de Viverton.* In conciliis: *Ad dilecti fratris nostri.* Sed perperam. Non enim à Pontifice Abbas frater appellatur, sed filius. Ecclesia de *Viverton*, ubi terrarum sit, ignoro. Concilia Wintoniensem habent, *Winchester* est urbs Episcopalis sub Archiepiscopatu Cantuariensi, Georgiae seu Garterii, Equitibus addicta. Ita & Contius in margine. Sed non placet A. Augustino, qui suspicatur Raymundum scripsisse de N. uti solent, dum nomen certum aut ignoratur, aut omittitur. Quidsi *Withorna* legatur, *Withorn* urbs Episcopalis in Scotia, olim Eboracensi in Angliâ Archiepiscopo suffraganea. Alias *Candida casa* appellatur in Gallovidiâ Scotiæ provinciâ, quæ est abbatia canonicorum Regularium, in quâ sedes Episcopi. Porro in textu ita collectio prima habet: *Eo quod quidam E. qui pater ejus dicebatur in præfatâ Ecclesiâ ministravit. Præterea ex parte ipsius nobis est insinuatum, quod memorato E. defuncto media intercessit persona, cui prædictum collatum est beneficium. Inde est, quod fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus atque*

*Abbas à Pontifice non frater, sed filius appellatur.*  
*Ecclesia de Viverton.*  
*Withorna Episcopalis Scotia.*  
*Candida casa.*  
*Compilationis I. lectio.*

*pra*

precipimus quatenus si predicta constiterint prænominatum Walterium in possessionem ei collati beneficii inducere non differatis omni oc. & ap. ces. non ideo minus observato apostolici rescripti decreto, quod hic hereditariam in Ecclesiâ Dei destruit successionem ut canonicam approbet possessionem. Post hæc verba additur in conciliis: Porro si is ex a. inter. non possint, alter nihilominus exsequatur. Lege: Porro si his exsequendis ambo interesse non possint, alter vestrum nihilominus exsequatur, quæ est clausula satis nota.

## CAP. XIV.

## Ad cap. XVII. de filiis Presbyt.

## SUMMARI A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Inscriptio restituitur.                 | decim Episcopatus in Belgio designavit.                                 |
| 2. Furnæ urbs.                             |   |
| 3. Brugæ, Flandria.                        | 7. Archiepiscopatus Belgii tres.  |
| 4. Olim quatuor tantum Belgio Episcopatus. | 8. Episcopus Brugensis Cancellarius Flandria ob Preposituram Donatiani. |
| 5. Auctor aurei velleris Ordinis.          |   |
| 6. Paulus IV. Pontifex quatuor-            | 9. Donatianus quis?   |

**E**st Honorii III. Inscriptio omisit Raymundus, quæ ita habet: Decano Furnensi, Morinensis diœcesis, & Magistro Gilberto Morinensi, & Lamberto S. Donationi in Brugis, Tornacensis diœcesis. Furnæ, urbs Flandriæ, diœcesis Morinensis, nobilitatæ victoriâ Gallorum contra Flandros anno 1297. Vide Jacob. Meyerum lib. 8. & 10. Annal. Flandriæ. Brugæ, Flandriæemporium celeberrimum, olim sub Tornacensi Episcopo, nunc Episcopatus, sub Mechlinensi Archiepiscopo, beneficio Pauli IV. ann. 1558. Erant olim in omni Belgio non plures quatuor Episcopatus. Quare jam olim augere eos Philippus Burgundiæ Dux, cognomento bonus, is qui equestrem aurei velleris ordinem instituit, animo agitaverat: Carolus V. autem Imperator Philippo filio inter suprema monita hanc curam transcripserat, qui impetravit etiam à Paulo IV. ut quatuordecim Episcopatus designarentur, pristinis quatuor addendi, tribus eorum Archiepiscopatus prærogativâ

Inscriptio restituitur.  
Furnæ, urbs  
Brugæ,  
Flandria.  
Olim quatuor tantum Belgio Episcopatus.  
Auctor aurei velleris ordinis.  
Paulus IV. Pontifex quatuordecim Episcopatus in Belgio

*gio designa- vit. Archiepi- scopatus Belgii tres. Episcopus Brugensis, Cancellarij Flandria ob Præpositurã Donatiani. Donatianus quis.*

gativã ornatis, Cammeraco nimirum, Trajecto ad Rhenum atque Mechliniã. *Vide Famianum Stradam lib. 2. belli bellici.* Est Brugensis Episcopus perpetuus & hereditarius Flandriæ Cancellarius, idque ratione Præposituræ S. Donatiani, Episcopatuï incorporatæ. Fuit Donatianus septimus Remorum Episcopus: Capitulum collegiatum fuit olim B. Mariæ dicatum: Sed ob translationem reliquiarum Donatiani sub Hadriano II. & Carolo calvo ab hoc Donatiano denominatum. *Vide Molanum in in- diculo.*

## CAP. XV.

## Ad titulum: De servis non ordinand. &amp; eorum manumissione.

## S U M M A R I A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Servus ad clerum promovendus debet manumitti. | 5. In occidente tres modi manumittendi. |
| 2. Etiam servus Ecclesiæ.                        | 6. Manumissio per denarium.             |
| 3. Nisi Dominus intra annum eum non vindicet,    | 7. Libertas denarialis.                 |
| 4. Patronatus jure demto.                        | 8. Manumissio in Ecclesiã.              |
|  | 9. Manumissio per epistolam privatam.   |

*Servus ad clerum promovendus debet manumitti.*

**N**on oportere servos ad Clerum promoveri, aut monachos fieri, nisi libertate donati sint à dominis suis, constat *can. 6. & 7. dist. 57. can. 81.* ex his, qui Apostolorum feruntur. Et Synodi Gangrensis *can. 3.* Calchedonensis *can. 4.* Vide Arsenium in Synopsi. Tum decretis Leonis Papæ *c. 1., & Gelasii c. 14.* Et Imperatorum quoque sanctione *l. 16. C. de Episc. & Cler.* ubi censibus annotati prohibentur ad Clericatum adspirare: Id est adscriptitii, instar servorum. Confer Balsamon. in *Sylloga Ecclesiasticarum Constitutionum lib. 1. n. 36. & 37.* Hoc itidem constat ex Synodo Aurelianensi III, sub Childeberto Rege *c. 21.* quod ita habet: *Ut nullus servilibus colonariisq; conditionibus obligatus juxta statuta sedis Apostolicæ ad honores Ecclesiasticos admittatur, nisi te-*

sta-

flamento aut per tabulas confiterit eum absolutum: Et cap. 23. Considerans piissimus Imperator, non debere Christi ministros obnoxios esse servituti humane, statuit, ut, quicumq; ex servili conditione, conciliante scientia & morum probitate, ad ministerium altaris adsciscerentur, primum manumittantur à propriis dominis, vel privatis vel Ecclesiasticis, & tunc demum gradibus altaris induantur. Junge Aimonium lib. 5. c. 10. Kapitulares l. 1. c. 88. de Servorum ordinatione & c. statutum est, ut nullus Episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere presumat, nisi prius à dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Quod ipsum iisdem verbis refertur ex incerto quodam consilio Toletano à Burchardo lib. 2. c. 31. & ab Ivone Decreti part. 6. c. 182. In eandem sententiam citatur ab eodem Burchardo & Gratiano autoritas Leonis P. P. Et Nov. 123. c. 17. Si servus sciente & non contradicente domino in Clero ordinatus fuerit, ex hoc ipso, quod constitutus est, liber & ingenuus erit. Si verò ignorante domino ordinatio fiat, licet domino intra spatium unius anni & servilem fortunam probare, & suum servum recipere. Id quod non solum in privatorum, sed & Ecclesiarum familiis obtinebat. can. 4. d. d. 54. Quare ab ipsis dominis libertatem ut consequerentur prius can. 6. & 7. vel ab Episcopo, si servi essent Ecclesiæ. can. 4. vel domini consentirent. c. 1. aut saltem scienter non contradicerent. d. can. 20. d. dist. oportuit: Imò & ignorante domino poterat nihilominus liber fieri & ordinari, si dominus intra annum eum non vindicaverit. d. can. 20. Nam liberum est domino dare libertatem, servo post ordinationem. c. 6. oportuit igitur, ut dominus daret libertatem legitimam, atque libertatis charta ante ordinationem in ambone publicè legeretur, & si nemo contradiceret, publicè consecraretur. c. 2. & 12. d. dist. Ut sub scripturæ testimonio vel legitimâ transactione concessa sit libertas, atque ut libertatem dando domini nullum in eis obsequium patroni retineant. can. 4. excepto peculiò, quod retinere possunt can. 8. ita, ut si domini sibi in eis jus patronatus retinuerint, non debeant promoveri. d. c. 4. & c. 24.

Sciendum autem cum religio primum Christiana in occidentem propagaretur, tres manumissionis fuisse modos: Nempe

per

*Etiam servg  
Ecclesiæ.*

*Nisi domi-  
nus intra  
annum eum  
nō vindicet.*

*Patronatus  
jure demto.  
In occiden-  
te tres modi*

*manumit-  
tendi.*

*Manumissio  
per denarium.*

per denarium, ante Regem; Dein in Ecclesia, & denique per Epistolam privatam. Manumissio per denarium ex L. Salicâ fiebat, auctoritate Regis, eoque præsentem, excusum nummum de manu servi, qui manumittendus veniebat, per manum domini vel cujuscunque alterius, ut docent Veteres formulæ apud Franciscum Pithoeum: *Nos verò manu propriâ excutientes de manu supra dicti N. denarium, vel nummum, vel argenteum, vel aureum, vel dragmam, vel festertium, vel minam.* Et in veteri charta Ecclesiæ Lugdunensis apud eundem Pithoeum ad L. Salicam tit. 28. *Servum juris vestri manu propria, & manu illius excutientes denarium secundum L. Salicam liberum cum omnibus, quæ habet vel acquisiverit, fecimus.* Est simile exemplum, quod profert Bignonius doctissimus, ex Tabulario Martini Turonensis, quod ita habet: *Carolus Imperator Augustus &c. Adalgarius Levita petiit, ut Imperiali more præceptum fieri juberemus. Decernimus, ut more prædecessorum nostrorum, Imperatorum & Regum in manu ipsius Leutharti denarius excutiat, ut à præsentem die idem Leuthartus semper & ubique omnibus locis liberatus valeat uti propriâ potestate absque alicujus resultatione aut contradictione, & quoque ei libuerit, omnibus modis liber, & velut nobili prosapia genitus esset, liberaliter per nostram auctoritatem pergat. Hanc præceptionem manu nostrâ firmavimus, & annulo nostri Imperii sigillavimus. Amalbertus Notarius ad Vicem Autberthi Archicancellarii. Data XV. KL. Julii. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXVI. Indictione V. Imperii Caroli VII. Equidem hoc caput Legis Salicæ hodiè non extat, fit tamen ejus mentio. tit. 28. Si quis servum alienum ante Regem per denarium ingenuum manumiserit. Etiam de hac manumissione est titulus in L. Ribuaris tit. 59. Et apud Marculphum lib. 2. c. 22. habetur formula talis:*

### *Præceptum Denariale:*

*Et quia Apostolicus, aut illustris vir ille servum suum, nomine illum, per manum illius ad nostram præsentiam jactante denario secundum L. Salicam dimisit ingenuum, ejus quoque absolutionem per præsentem auctoritatem firmamus: Præcipientes enim, ut sicut & reliqui mansoarii*

soarii (Mansarii. Ita dicebantur, qui alias coloni, colonarii) qui per talem iuramentum à iugo servitutis in presentia Principum noscuntur esse relaxati ingenui, ita & à modo memoratus ille per nostrum preceptum plenius in Dei nomine confirmatum nullo inquietante, perennisq; temporibus cum Dei & nostra gratia valeat permanere, bene ingenuus & securus. Et talis manumissus dicebatur Libertus denarialis. Benedictus Levita Capitularium lib. 6. cap. 208. ex Pini Italiae Regis legibus tit. X. Homo denarialis non antea hereditare suam agnatione poterit, quam usq; ad tertiam generationem perveniat.

Manumissionem in Ecclesia quod attinet, fiebat illa per chartam seu tabulam. Extat ejus formula inter formulas Legum Romanarum, quae ita habet:

### Ingenuitas.

Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, in futuro apud dominum sibi retribui confidat. Igitur ego in Dei nomine ille, pro remedio anime meae & aeternae retributione servum juris mei, nomine illum, ingenuum esse precipio, & in sacrosanta Ecclesia beatisimi Sancti illius, sub presentia Sacerdotum ibidem consistentium ante cornu Altaris ab omni vinculo servitutis eum absolvo, ita, ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus, vel procreatus, eat, pergat partem, quam maluerit, & sicut alii cives Romani vitam ducat ingenuam. Et si aliqua procreatio filiorum vel filiarum ex ipso orta fuerit, similiter vivat ingenua, & nulli heredum meorum, nec cuiusq; alii personae quicquam debeat servitutis, nec libertinitatis obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt, vel pro cuius amore ipsum devotus obtuli; patrocinium & defensionem cuiusq; se elegerit, in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex heredibus meis, vel qualibet persona, quae contra hanc ingenuitatem venire, aut eam refragare presumerit, illud, quod repetit, non vindicet, & insuper contra cuius litem intulerit, sol. LX. componat: & praesens ingenuitas meis, vel bonorum hominum manibus roborata cum stipulatione subnixae, omnig; tempore maneat inconvulsa.

D

De-



Manumissio  
per episto-  
lam priva-  
tam.

Denique per Epistolam privatam manumissio legibus Romanis quoque fiebat. *l. qui absentis. 38. ff. de A. P. Cajus lib. 1. Inst.* Necessum verò erat, ut adhiberentur ex Constitutione Justiniani quinque testes, qui cautioni hujus manumissionis à domino scriptæ vel signatæ subscriberent. *l. un. §. 1. C. de Lat. lib. toll.* Et hoc modo manumissi dicebantur *Liberti Chartularii & Tabularii*, ut & qui in Ecclesia servitute liberati fuerant. *Capitul. lib. 6. c. 208.* Formula talis est *lib. 2. c. 23.* apud Marculfum :

### *Ingenuitas à die presente.*

*Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, mercedem in futurum apud dominum sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille, & conjux mea illa pro remedio animæ nostræ vel retributione eternâ, te illum, aut illum, ex familia nostra, à presenti die, ab omni vinculo servitutis absolvimus. Ita, ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, vitam ducas ingenuam, & nulli heredum ac proheredum nostrorum, vel cuicunq; servitium, nec libertinitatis obsequium debeas, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt: peculiari concessio, quod habes, aut deinceps elaborare potueris. Si tibi necessitas ad tuam ingenuitatem tuendam, contigerit, absq; ullo præjudicio ingenuitatis tuæ, defensionem Ecclesiæ, aut cujuscunq; te eligere placuerit, licentiam habeas, & vitam semper benè & integrè ducas ingenuam. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, nos ipsi, quod absit, aut aliquis de heredibus nostris, vel qualibet opposita persona contra hanc ingenuitatem tuam venire aut eam infringere conaverit, aut te in servitio inclinare voluerit, divina illum ultio subsequatur, & à limitibus Ecclesiarum, vel à communionem extraneus efficiatur. Et insuper inferat tibi cum cogente fisco auri lib. 1. & quod repetit vindicare non valeat, sed præsens ingenuitas omni tempore firma permaneat stipulatione subnixâ.*

Cum itaque sine domini consensu saltem tacitò non liceret Episcopo manumittere, quid est, quod Innocentius III. ait, *c. 3. X. Qui filii sint legit.* etiam scienter manumissum ab Episcopo servitutis jugum evadere? Præsertim cum Gelasius Episcopis per Lucaniam rescribat, Episcopum hoc modo servos ordinantem proprii

prii honoris periculum & communionis subire. *can. 12. b.* Sed videtur istud Gelasii in observantiam nunquam satis adolevisse. Hinc in concilio Aurelianensi I. statutum, ut Clerico in officio permanente, æstimationem servi in duplum præstaret domino Episcopus. *can. 19. b.* Quo procul dubio respexit Innocentius. Servus autem, quo minus liber maneat, ut affirmat Innocentius, obstat *c. 2. d. dist. 54.* ubi dicitur, gradu eum excidere, ejusque conditionis fieri, cujus fuerat antea. Hæc ut concilientur, & veritas constet dicto ab Innocentio, distinguunt quidam inter Clericos simplices & Sacerdotes vel Diaconos. Hos enim non retrahi ad servitutem, sed manere in ordine. *c. 9.* At Clericos simplices vel reddi dominis. *can. 9. & 10.* vel si Clerici maneat, aliud onus eis imponi debere. *v. g. si fuerint adscriptitii, ut agriculturam continent. can. 20.*

## CAP. XVI.

## Ad cap. unicum x. de obligatis ad ratiocinia.

## SUMMARI A.

- |  |                         |
|--|-------------------------|
| 1. Unde capitulum petitum.                             | 4. Variæ lectiones.     |
| 2. Ubi exstet alibi.                                   | 5. Causa prohibitionis. |
| 3. Magnus, Episcopus, non Augustinus: Sed Astiagensis. | 6. Emendatio textus.    |

**D**esumptum est hoc capitulum ex concilio Carthaginensi primo, capite octavo. Licet caput nonum legatur apud Burchardum *lib. 2. c. 36.* Et ab Ivone *parte 6. c. 137.* Hoc capitulum exstat etiam apud Gratianum, & est tertium *distinct. 54.* ibi in veteribus editionibus ante Gregorium XIII. legabatur: *Ex concilio Maguntinensi*, ut notat Ant. Augustinus, & ex eo emendatores Gregoriani. Emendatum verò ex Gratiano, Burchardo, Ivone, & compilatione primâ.

Porro in textu dicitur: Magnus, Episcopus August. *MScrum Magnus, Salanum unum habet, Mannus; Sed rectè, Magnus, nomen Episcopi proprium. Liber Barcinonensis legit; Magnus Episcopus*

*Non Augu-  
stinus.*

*Sed Astia-  
gensis.*

*Causa pro-  
hibitionis.  
Emendatio  
sexus.*

Augustinus, quasi de Aurelio Augustino, Episcopo Hipponensi sermo sit. Perperam. Sunt enim hæc Augustino antiquiora, ut rectè Antonius Augustinus, ad tempora Constantii post concilium Sardicense pertinentia. Pro Augustensis, Gratianus habet, Astiagensis, secutus Burchardum atque Ivonem. Rectè, uti habet & liber conciliorum. Sententiam hujus capituli confirmat can. 33. Fulgentii Ferrandi; Ut Clerici, apothecarii, vel ratiocinatores non ordinentur. Nempe propter præscriptionem fori, ne causam cogantur dicere coram iudice seculari. In primis si in administratione commisissent fraudem, unde futurum, ut Ecclesia infamaretur. Quæ ratio redditur in textu hic. Et perperam antea legebatur: Ecclesia infirmatur, vel ab Ecclesiâ infirmantur.

## CAP. XVII.

Ad tit. De corpore vitiatis ordinandis  
vel non.

Ad capitul. 1. & 2.

S U M M A R I A.

- |   |                             |
|---|-----------------------------|
| 1. Inscriptio suppletur.                          | 4. Ad quem directum.        |
| 2. Salernum urbs, qua corpus S. Matthæi servatur. | 5. Emendatur lectio.        |
| 3. Capit. 2. b. 1. est iidem Alexandri.           | 6. Ant. Augustinus notatur. |

*Inscriptio  
suppletur.  
Salernum,  
urbs, quâ  
corpus S.  
Matthæi  
servatur.*

**C**apitulum primum est Alexandri III. Ad quem directum fuerit non additur. Supplendum itaque est ex eâ collectione, quæ est post concilium Lateranense parte 26. c. 4. 5. 6. nempe, Salernitano Archiepiscopo. Salernum, urbs maritima regni Neapolitani, & Academia vetus, gaudetque titulo Principatus. Ibi & corpus S. Matthæi apostoli asservari creditur. Additur in primâ compilatione: *Pars cap. Licet pr.* Id est; Licet præter solitum, ut constat ex c. 3. x. de Judic. & c. 7. de homicidio, uti habetur in d. parte 26. post concilium Lateranense.

Cap.

Capitulum II. est ejusdem Alexandri, ut docet compilatio. I. *Capitulum*  
 Sed ad quem? Cistrensi electo, eadem compilatio. Lege; *Ci-* *2.b.2. est iti-*  
*cestrensi.* Errat enim Ant. Augustinus, cui hæc lectio displicet, *dem Alex.*  
 & tanquam singulare notat, ordinem Cisterciensium Monacho- *Ad quem*  
 rum, ordinem Cistrensem appellari. Unde suspicatur, hunc *directum.*  
 non Episcopum electum, sed Cistrensem Abbatem fuisse. Vo- *Emendatur,*  
 cem enim, Cistrensi, non ordinem respicere, sed locum, nec de *lectio.*  
 monasterio loqui, sed Ecclesiâ & textus & sensus volunt. De *Ant. Augu-*  
 Ecclesiis agi Anglicanis, quæ Archiepiscopo Cantuariensi sub- *stinus nota-*  
 sint, verba produnt *singulis vestris*, habet textus: Nempe in Eccle- *tur.*  
 siis Anglicanis, de quibus præcessit. Quo magis hæc compare-  
 ant, ecce capitulum integrius ex compilatione primâ: *Cum de tuâ*  
 & aliorum electione, quæ sunt in quibusdam Ecclesiis Anglicanis e-  
 lecti in præsentia nostrâ & fratrum nostrorum questio mota fuisset,  
 & singulis vestris quadam objicerentur, tibi objectum est, quod in o-  
 culo maculam habebas, & quod fueris Canonici filius: Attendentes  
 itaq; prudentiam & honestatem tuam, & volentes te nostra gratia &  
 dilectionis prærogativâ gaudere, venerabili f.n.R. Cantua. Archiepi-  
 scopo A.S.L. (fratri nostro R. Cantuariensi Archiepiscopo Apostoli-  
 cæ sedis Legato) dedimus in mandato, ut pro eo, quod Canonici filius  
 diceris, in promotione tuâ ex multâ dispensatione procedere non post-  
 ponat. De maculâ verò, quam in oculo habere diceris, hoc prædi-  
 cto Archiepiscopo mandamus, ut consiliò suffraganeorum suorum &  
 præsertim venerabilium fratrum nostrorum Exonen. & Wigor.  
 Episcoporum, quod exinde sibi visum fuerit, exsequantur. Et re-  
 liqua.

## CAP. XVIII.

Ad capp. 3. 4. 5. &amp; ult. de corpore vitiatæ.

## SUMMARI A.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Capit. 3. ad quem scriptum sit,<br>dubitatur. | 4. Leontius ob commercium ju-<br>vencula castratus.  |
| 2. Varmium, Varadinum,                           | 5. Origenis ordinatio cur à Deme-<br>trio improbatæ. |
| 3. De his quibus virilia ademta.                 |  |

D 3

6. Vi

6. *Vi castrati.*7. *Tigrius.*8. *Eunuchi nati.*9. *Canon Nicenus hac de re.*10. *Qui ob periculum lepræ, vel epilepsiæ se exciunt.*11. *Balsamonis sententia.*12. *Castrati non laborant leprâ.*13. *Capitulum ultimum.*14. *Barræ ferrea.*

*Capit. 3. ad quem scriptum sit, dubitatur.*

*Varmium,*

*Varadinum.*

*De his quibus virilia adempta.*

*Leontius ob commercium juvenculæ castratus.*

*Origenis ordinatio cur à Demetrio improbata.*

*Vi castrati.*

*Tigrius.*

*Eunuchi nati*

*Canon Nicenus hac de re.*

**C**apitulum III. est Clementis III. ad Variensem, Varinensem, Varensem, Episcopum, nescio cujatem. Varensis limitis in Africâ meminit notitiâ Imperii. Varense concilium ponitur in Decreto Gratiani *can. 15. c. 13. q. 2.* Vari-na Daciæ Ripensis urbs in libro notitiæ. Est & Varmiensis urbs Episcopalis in Borussia. Cujus Episcopus sedem habet Brun-bergæ? Est & Varadinum urbs Episcopalis Hungariæ Transda-nubianæ sub Archiepiscopo Colociensi. Agitur autem in hisce tribus capitulis de his, quibus virilia adempta. In primo quidem de quodam Bartolomæo, qui in cunabulis sectus fuerit, an in Pres-byterum promoveri possit. Quod non possint esse clerici *can. 1.* concilii cautum est. Causam canoni dedisse autumant Leontium, qui accusatus de commercio cujusdam juvenculæ mulieris se ip-sum castrandum dedit, quo ita liberè ejus commercio frui pos-set. Sed nihilominus sacerdotio privatus fuit, eaque de causâ ad Arianos defecit. *Socrates lib. 2. hist. Eccl. c. 21. Theodor. 2. 24. & Antiochiæ Episcopus creatus est. Origenis etiam ordinatio pro- pterea à Demetrio Alexandriæ Episcopo damnata est, Euseb. lib. 6. hist. Eccl. c. 8. Epiph. 2. her. 64.* Excipit autem dictus canon, qui vi & necessitate excisi sunt. Sic Tigrius quidam natione barbarus & Eunuchus, sed non à nativitate, libertatem consecutus ad pres-byterii dignitatem evehctus est. *Sozomenus lib. 6. c. 15. & lib. 8. c. 24.* καὶ Τίγριος ὄντι βάρβαρος τὸ γένος, ὅτι ἐκ γενετῆς εὐνῆχος μετέχεν ἐλευθερίας εἰς πρεσβυτέρους ἀξίας περιελθὼν. Excipiuntur præterea etiam qui Eunuchi sunt nativitate, cujusmodi Doro-theum Antiochiæ Episcopum fuisse refert Eusebius *lib. 7. c. 32.* Dicit capitulum nostrum Niceno concilio statutum, ne sint in clero, qui affectaverint, ut ab aliis abscindantur: Et ita est in canone; ὡσαύτως τὸ πρόδηλον ὅτι παρὰ τῶν ὀπιτηθευόντων τὸ πρῶγμα ἢ τολ- μόν-

μόνων ἐαυτὰς ἐκτέμνειν εἴρηται ἄτως εἰπτες ὑπὸ βαρβάρων ἢ δὲ  
 ποσῶν εὐνεχθῆσαν, τὰς τοιάτας εἰς κλήρον προσιέται ὁ κανὼν.  
 Talis fuisse videtur ille apud Justinum Martyrem in apologiâ ad  
 Antoninum Pium, qui se castrare volens prius à Præfecto Ægypti  
 veniâ edicti petiit. Hoc enim sine Præfecti permisso fieri nefas esse  
 Medici, qui illic erant, asseverabant. Vide Justell. *ad can. 1. concil.  
 Niceni*. Cæterum in nostro capitulo in cunabulis sectus proponi-  
 tur Bartholomæus, id est, Ectomia. Vide Cujac. in *L. 6. ff. de lib.  
 & post.* Eadem ratio est, siue thibiæ sint, id est, per collisionem, si-  
 ve thlasia, per contusionem & compressionem virilibus orbat. In  
 cap. 4. Proponitur B. Presbyter, qui credens se obsequium præstare  
 Deo, fecit sibi virilia amputari, quo cum dispensat Pontifex, ut  
 sacerdotio fungi possit, excepto altaris ministerio. Quod mi-  
 rum, & contra canonem Nicenum videtur. Crassa est in Pres-  
 bytero Juris Canonici ignorantia, quæ vix excusationem, nedum  
 veniam meretur.

Porro capite V. Presbyter, qui ob periculum lepræ sibi virilia  
 absciderat, sacerdotale officium retinet. Aliter censuit Ivo *Epist. 233.* ubi meminit Monachi, qui se propter epilepsiam curandam eu-  
 nuchisavit: Nimirum secundum rigorem canonum statuit, nec  
 ad altiorem gradum eum promoveri posse, nec in eo, quo erat or-  
 dine ministrare. Si enim secundum Nicenos canones illi ab ec-  
 clesiasticis officiis removentur, qui se abscindunt obrentu servan-  
 dæ castitatis, multo magis esse removendos, qui se eunuchizant,  
 causâ curandæ corporalis agritudinis. Alia ratio est si non ob pe-  
 riculum futurum morbi, sed in ipso periculo à Medico quis exse-  
 catur. Id enim concilium Nicenum permittit. Et putat Balsa-  
 mo *ad c. 1. Nicenæ synodi & ad can. 23. Apostol.* clericum non posse  
 castrari propter morbum sine auctoritate Episcopi, allatâ Justinia-  
 ni Novellâ, de Eunuchis, quæ statuit etiam propter morbum ne-  
 minem impunè castrari.

Cæterum constat ex Actio *lib. 13. c. 125.* castratos hoc lepræ  
 morbo non laborare. Eodemque remedio puerum, qui postea  
 fuit in obsequiis sacrarum Virginum Monasterii S. Radegundis  
 apud Pictavos curatum narrat Gregorius Turonensis *lib. 10. c. 15.*

Ca-

*Capit. ult.**Barra ferrea.*

Capitulo ultimo scribit Honorius Episcopo Engolismensi, Guilielmo, sive Rudolfo 37. vel 38. Episcopis, de quodam Thomâ Monacho S. Amantii de Brixia, vulgò de Brices, ordinis S. Benedicti, ut habetur compilatione V. cujus monasterii Abbas est Archiepiscopus Tolosanus, ut refert Cironius. Huic Thomæ adhuc puero *Barra* ferrea unguem pollicis dextri excusserat. Legendum forsan est *barta* ferrea, genus ascie vel securis, vox Germanica, eine *Bahyte*. Glossæ Isidori: *Barro*, genus organi, puta, ad secandum. Sic & Reinesius, amicus quondam meus, *vñ çv á-γλοis*, Isidorum de securicula brevioris manubrii accipit, quod est *εργαλειον χειρωνακτων*. Græcorum autem *βαρδαικιον*, quod erat missile sectorium huc referre scitius quàm verius videtur.

## CAP. XIX.

## Ad tit. XXI. De digamis non ordinandis.

## S U M M A R I A.

1. Digamia quotuplex?

3. Digamia improbata etiam ab hæreticis &amp; Ethnicis.

2. Canones veteres hac de re.

*Digamia quotuplex.**Canones veteres hac de re.**Digamia*

**D**igamia tripliciter capitur. Primò quando quis eodem tempore duas habet uxores. Deinde quando quis priori matrimonio soluto secundas nuptias contrahit. Denique priori conjugè per divortium dimissâ cum altera superinducitur, præter causam adulterii. Nulla harum ab Ecclesia probata fuit. Nulli horum ad ordines admissi. Sed posteriores digami pœnitentiâ actâ ad communionem admittebantur, & de hac digamiâ accipiendi sunt canones veteres. Et quidem canon 8. Nicenus, ubi Catharis præcipitur, ut cum digamis communicent. Canon item NeoCæsariensis septimus & Laodicensis primus, ubi definitur, eos, qui liberè & legitimè binis nuptiis juncti sunt, neque clandestinum matrimonium inierant; exiguo tempore elapso, postquam precibus & jejuniis vacaverunt per indulgentiam communionem ipsis reddi.

Cæterum adeo digamia improbata est, ut nec Arrianis probare-

baretur, ut habet Epiphanius hæresi XXX. Hinc Josephus Tiberiadensis ne ab Arrianis invitus clericus fieret, secundas nuptias contraxit. Apud Gentiles Flamen dialis eadem castimoniâ coerceretur, ut est apud Plutarchum quæstionibus. Et Tertullianus exhortatione ad castitatem: Monogamia, ait, apud Ethnicos in summo honore est, ut & Virginibus legitimè nubentibus, univira promuba adhibeatur, & auspicii initium est. Item in quibusdam solennibus & auspiciis, ut prior sit univiro locus. Certè Flaminica non nisi univira est, quæ & Flaminis lex est. Trebellius Pollic de Calpurnia Titi Coniuge: Fuit sancta & venerabilis fœmina de genere Cesonianorum, quam majores nostri univiram Sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorarunt.

33  
improbata,  
etiam ab  
hæreticis &  
Ethnicis.

## CAP. XX.

Ad cap. I. II. IV. VI. de bigamis non ordin.

## S U M M A R I A.

1. Capitulum 1. unde promptum. do habitum.  
2. Aurelian. concilium III. quando habitum.  
3. Pœnitentes qui?

**C**apitulum primum desumptum est ex concilio Aurelianensi 3. c. 6. quod anno Domini 540. celebratum est, Vigilio Pontifice sedente, regnante Childeberto Francorum, sub Consulatu Paulini junioris. Item ex Arelatensi tertio c. 3. Vide Gratianum distinct. 55. c. 2. Ant. Augustinum ad Compil. I. h. t. quem compilarunt Gregoriani. Ait Capitulum: Ut bigami vel pœnitentes. Pœnitentes intelliguntur illi, qui post baptismum pro homicidio aut pro diversis criminibus gravissimis que peccatis publicam pœnitentiam gerentes sub cilicio divino fuerint reconciliati altari, ut habet concil. Tolet. 1. c. 2. & ex eo Martinus Bracarensis collectione canonum cap. 23.

Capitulum  
I. unde  
promptum.  
Aurelian.  
concilium 3.  
quando ha-  
bitum.  
Pœnitentes  
qui.

Capitulum II. est ad Spalensem Archiepiscopum. Quis iste? Spalis olim, quæ nunc Hispalis, Sevilla, urbs Archiepiscopalis Hispaniæ. Compilatio prima, Spoletano habet, perperam. Alias lectiones cumulant Gregoriani in notis hîc, quos vide, si tanti.



Capitulum IV. est Innocentii III. ad Ratisponensem Episcopum, ut est apud Raimundum. Variat tamen lectio. In tertiâ compilatione legitur Wtilamensi, Wtilamensi. Duo MSCra Salana optimæ notæ: Ratislaviensi. Unde non dubito rescribere: Vratislaviensi. Quam vocem supra quoque capitulo 27. de Rescriptis restituimus. Ecloga II. cap. 18. pag. 45. Summa autem capituli est, eum, qui mortuâ uxore ad sacra promotus cum secundâ de facto contraxit, eamque cognovit, digamiæ pœnam incurere, licet digamus non sit. Digamus propriè non est, quia secundæ nuptiæ jure canonico sunt irritæ, & de facto tantum tenent, *c. sanè. de etate & qual.* Ideo licet talis intentionem & animum habeat secundum matrimonium contrahendi, vel, ut Pontifex loquitur, affectum intentionis cum opere subsequuto habeat, in matrimonio vivendi, propriè tamen digamus non est, sed digamiæ tamen pœnam incurrit. Bigamus, inquam, non est, non propter sacramenti defectum, id est, non propterea, quod matrimonium consistere non possit in eo, qui unam habuit uxorem, & post susceptionem ordinis sacri aliam duxit: Neque enim pluralitas uxorum hîc est: Sed quia contra votum prius affectat inire aliud matrimonium, ideo ratione affectus illiciti pro digamo habetur. Capitulum VI. apud Raimundum inscribitur Lugdunensi Archiepiscopo: Sed in compilatione IV. habetur, D. Archidiacono Lundunensi: Sic & duo MSti Salani, Archidiacono: Unus autem optimus, Lundoniensi.

## CAP. XXI.

Ad Tit. XXII. de Clericis peregrinis.

Additur in compilatione primâ ad rubricam:

*Et eis sine literis non recipiendis, quæ  
verba omisit Raymundus.*

Ad capit. I. &amp; III.

S U M M A R I A.

1. Rubrica integratur.

2. Capit. I. non est Alexandri IV.

3. Ejus

- |   |  |
|---|--|
| 3. <i>Ejus summa.</i>                                     | 11. <i>Probatum per hos intelligi honoratiores.</i>          |
| 4. <i>Epistola ecclesiastica.</i>                         | 12. <i>Ratio cur systatica non nisi honoratioribus data.</i> |
| 5. <i>Origo epistolarum ecclesiasticarum.</i>             | 13. <i>Litera dimissoria.</i>                                |
| 6. <i>Species &amp; nomina varia epistolarum.</i>         | 14. <i>συνθήματα γραμμάτων.</i>                              |
| 7. <i>Dua Canoniarum species, εἰρηνηκῆ καὶ συστατικῆ.</i> | 15. <i>τυποματῆς, Formatae.</i>                              |
| 8. <i>Systatica cui dabantur.</i>                         | 16. <i>Origo Formatarum.</i>                                 |
| 9. <i>Ἐπιτομή.</i>  | 17. <i>Blondellus non nisi tredecim Formatas reperit.</i>    |
| 10. <i>Ὁ ἐν Ἐπιτομῇ, an suspecti?</i>                     |  |

**E**st Alexandri III, etsi exemplaria quaedam quartum citent: *Rubrica in-*  
 Sed perperam, cum, ut notant Gregoriani, tempore com-  
 pilationis Raymundanae nondum erat Alexander aliquis *tegratur.*  
 quartus. Peregrinos ad ordines non admittendos, quos *Capit. I. non*  
 ξένης vocat *can. 32. Apostolorum*, nempe qui sunt ex aliena diocesi, *est Alex. IV.*  
 habetur *can. Illud quoque, 1. & can. primatus. 6. dist. LXXI.* nisi habeat *Ejus sum-*  
 literas dimissorias a suo Episcopo. Hoc amplius Transmarini, *ma.*  
 id est, Afri debebant non solum instructi esse literis, non quae u-  
 nius: Sed quinque Episcoporum sigillis essent munitae. *cap.*  
*1. b. t.*

De Epistolis hisce ecclesiasticis multa habentur passim: Nos *Epistola Be-*  
 pro instituti ratione quantum sufficere visum. Origo Epistolar. *clesiastica.*  
 Ecclesiasticarum videtur antiquissima, & ab Apostolis inde rece- *Origo Epi-*  
 pta, ad eum finem, ut & christiana religio latius propagaretur, & *stolarum*  
 ne sub specie communionis cum fidelibus infideles & haeretici in *Eccl.*  
 Ecclesiam irreperant, & ὑποτύπωσιν τῶν ὑγαινεύτων λόγων cor-  
 rumperent. Fuerunt autem harum Epistolarum nomina varia. *Species &*  
 cum in Ecclesia Graeca, tum Latina. Scribebant enim Patres fre- *nomina va-*  
 quentissimas literas & vel singuli vel plures unam, pariterque modo *ria Epistol.*  
 ad singulos seorsum, modo ad plures conjunctim. Quot fuerint  
 harum genera, non adeo liquet. Variarum enim occurrunt appella-  
 tiones, quae tamen diversarum specierum esse non videntur.

Duarum meminit canon undecimus synodi Chalcedonenfis: *Dua Canon.*

Πάντας τὰς πενήτας καὶ δεοῦντας ἑπικερίας μὲν δοκιμασίας ἑπιστο-  
 λείας ἢ εἰρηνικῶν ἢ συστατικῶν ἐκκλησιαστικῶν μόνους ὀδεύειν, ὡς οὐ μὲν, ἢ  
 εἰρηνικῶν ἢ συστατικῶν, ἀλλὰ τὸ πᾶσι συστατικῶν ἑπιστολῶν προσηκῶν τοῖς ἕσιν ἐν  
 ὑπολήψει μόνους προσώποις παρέχεσθαι, i. e. omnes pauperes & qui  
 auxilio indigent cum examinatione, viam statuimus ingredi cum epi-  
 stolis seu pacificis ecclesiasticis, & non cum commendatiis. Quia li-  
 teras commendatiis iis solis personis quæ sunt suspectæ (quæ sunt in  
 existimatione) præberi oportet.

*Systatica  
 cui daban-  
 tur. ὑπόλη-  
 ψις.  
 ἐν ὑπόλη-  
 ψι, an su-  
 specti?  
 Probatur  
 per hos in-  
 telligi ho-  
 noratiores.*

Cum dicit canon, pauperibus  
 commendatitias non dari, sed solum pacificas, quia commendati-  
 tiæ non nisi τοῖς ἐν ὑπόληψει ἕσιν præbeantur, inde quidem con-  
 stat, differre commendatitias inter se & pacificas, constat & hoc  
 pauperibus solis & indigentibus pacificas dari: Sed cui dandæ ve-  
 niant συστατικῶν, non liquet, ob ambiguitatem vocis, ὑπόληψις,  
 quâ usus est canon iste, tam reprehensionem, quàm opinionem &  
 existimationem significante. Zonaras, Balsamo, Blastares, τὰς ἐν  
 ὑπόληψει accipiunt, personas suspectas. Sed verius videtur, in-  
 telligendos esse, qui in aliquâ existimatione existant, ut Gabriel  
 Albaspinæus in observationibus sentit.

Frequentior enim hæc est significatio, Justinianus Nov. 123. c.  
 24. ὅν πάντες οἱ μοναχοὶ, οἱ καλλιῶν ὑπόληψεως ἐπιλέξονται. Ac-  
 cedit Cujacius, græcè doctissimus, qui in cap. 5. x. de Cler. non resid.  
 hæc verba, τοῖς ἕσιν ἐν ὑπόληψει ita reddit: *Qui sunt in reputatione.*  
 Sed & Rhegino Prumiensis ita reddit, nempe honoratioribus. Et  
 facit huc quod in testium qualitate idem Justinianus requirit, ut  
 sint ἐν ὑπόληψει, bonæ existimationis. Porro facit & ratio, quam  
 urget Albaspinæus. Si enim οἱ ἐν ὑπόληψει notant suspectos,  
 quæ est ratio propter quam solis pauperibus denegantur commen-  
 datitiæ. An non & hi suspecti fieri possint, sive jure sive injuriâ?  
 Cur igitur his omni potius misericordiâ dignissimis denegantur  
 commendatiæ, quæ ex mente dissentientium omnibus suspectis  
 erant præbendæ. Quin quia constat, dari commendatitias pluri-  
 bus, quam τοῖς ἐν ὑπόληψει, ut separatis communionem, ignotis, reis  
 postulatis, malè determinasset canon hos, quibus dandæ systaticæ,  
 si solis suspectis debebantur. Qua re concludam verbis Albaspi-  
 næi; prout exhibet ea Dn. Meyerus, Theologus Helmstadiensis ce-  
 leber.

leberrimus: Possumus, inquit, hunc canonem enodare, si dixerimus, consentaneum non fuisse proletario cuilibet, egeno nimirum & accisis opibus aut sententiam passo, in exilium, vel ad metalla aut Casarem appellante commendatitias indulgere: Nam si Ecclesia promiscuè & indifferenter quarumcumq; personarum tutelam suscepisset, hæc passivitas Ecclesiæ dignitatem apud Principes & quosvis magistratus non minimum imminuisset. Quod si causa pauperum, orphanorum, viduarum, aut ad irremediam damnatorum æquitate nitebatur, & eâ ratione patrociniū Ecclesiæ desiderabat, eo casu sequendus erat canon IX. concilii Sardicensis, qui statuit Diaconum destinari, ad Fratres & Coepiscopos, qui illo tempore in his regionibus morabantur, & his negotium dandum esse, ut hosce pauperes, quantum possent, Ecclesiæ nomine juvarent. At commendatitias dare quibusvis pauperibus, concilium Calchedonense, Sardicense insequendo, æquum non putavit. Summa est: Systaticæ non denegantur personis honoratioribus: non denegantur etiam quibusdam villioribus, & miserabilibus, siquidem causæ necessitas & miserationis ratio exoptulēt. Ratio, cur regulariter non nisi dignioribus dandæ erant, fuit hæc, quam Albaspinæus subjungit: Qui cum his literis proficiscebantur, sumptibus Ecclesiæ alebantur & longè lautius excipiebantur cum commendatitiis literis, præ his, qui tantum pacificas, aut communicatorias ferebant. Statuit ergo canon, personarum discrimen adhibendum esse, pauperibus nimirum abundè esse, si pacificas accipiant, quibus instructi, rebus ad victum necessariis procurarentur. Dabantur ergo Pacificæ Laicis peregrinantibus, ut ad communionem admitterentur & hospitalitatis jure gauderent.

Commendatitiæ autem & clericis & laicis dabantur, ab Episcopis & Metropolitanis, quarum fide in negotiis adjuvabantur, & lautè excipiebantur, quippe digniores & alicujus existimationis. Fruebantur ergo, qui harum literarum comiteatū procurabantur, hospitio liberali, quod Gregorius Nazianzenus libro I. in Julianum testatur: Constituebat, inquit, Julianus Imperator etiam diversoria edificare, ac domos excipiendis hospitibus, simulq; humanitatem erga pauperes adjungere, cum aliam, tum eam, quæ in notis sive tesseriis epistolaribus consistit, quibus eos, qui inopiâ premuntur,

Ratio cur  
systaticæ,  
non nisi  
dignioribus  
datæ.

Litera di-  
missoria.

συνθήματα  
γραμμά-  
των.  
τετυπομέ-  
να, Forma-  
τα.

ex gente ad gentem transmittimus. Junge Sozomenum *lib. 5. c. 16.* Andream Schottum in *Procli chresto mathiam p. 55.* Et hæcenus de Pacificis & commendatitiis. Erant præter istas & dimissoria, quæ solis clericis dabantur, quibus non solum testatum facerent ferentes, se esse in societate fidelium, sed & bonâ cum gratiâ & veniâ discessisse facultatemque habere manendi in aliâ diœcesi & ministrandi, *can. 17. in Trullo & can. Apost. 15.* Et erant hæc tres epistolarum canonicarum species in universum communicatoriæ, quibus Episcopi in signum unitatis fidei & pacis inter se communicabant. Erant quandoq; etiam canonicæ hæc certis notis formata, tanquam symbolis & tessera, ne falsæ pro veris supponi possent. Hæc tessera & formæ Ἐπιστολιμαία συνθήματα & συνθήματα γραμμάτων appellabant, unde συνηματικῶς γράφειν apud Procopium. Et ob hunc typum seu formam existimo in synodo Carthaginensi *cap. 23. τετυπομένης* appellari, id est, formatas. Et ita exponunt atque accipiunt Formatas viri quique eruditissimi, quos inter familiam ducunt ὁ πάνυ Cujacius *ad tit. 4. l. 3. Decretal. c. 5.* Carolus Labbeus in observationibus ad synopsis Basilicorum *p. 496.* Herman. Hugo de scribendi origine *c. 13.* Baronius ad an. 325. *n. 163.* Savaro ad Sidonium Apollinarem *lib. 6. Epist. 8.* Ab his divortium facit Jacobus Sirmundus notis ad Goffridum Vindocinensem, qui Formatarum nomen à sigillo, quo signabantur, arcessit. Aliter Blondellus, qui formatas appellatas vult, quæ characterē fraternitatis christianæ & formam præscriptam per regulas caritatis præferant, *de primatu in Ecclesiâ.* Sed à communi expositione non discesserim, & utique peculiarem formam habuisse, quæcunque tandem fuerit, opinor. Qui igitur peregrinabantur clerici, ejusmodi tesseras epistolares secum ferentes quocunq; pergerent hospitio suscipiebantur, illisque erant pro viatico. Vide Lucianum in *Peregrino.* Hinc Tertullianus hospitalitatis contesserationem dixit mutuato ἀπ' ἕξωθεν vocabulo.

Origo For-  
matarum.

Quid sentiendum jam de Formatis istis? Quæ earum origo? Sunt qui primam earum originem è canonibus, quos vocant, Apostolorum repetunt. Et quidem *can. 12.* ubi γραμμάτων, συστατικῶν fit mentio, ut & *can. 32.* Sed poterant συστατικῶν esse, nec esse tamen

tamen formata. Passiva est sententia, sanctione quadam Niceni concilii de certâ formâ à Patribus concilii conventum fuisse, Quam formam vulgarit Atticus CPolitanus Episcopus. Ita apud Gratianum legitur, ex restitutione criticorum Gregorianorum, cum ante legeretur, *Abbatibus*. Eidem Attico adscribitur hæc Formatarum structura in actis concilii Chalcedonensis. Repræsentat eâ Papias in vocabulario, ex quo repetit Labbæus, & ut præ se fert, emendat: Gratianus in *can. 1. & 2. dist. 73.* duo exemplaria profert. Et canonis 2. formulam ab Attico CPolitanorum Episcopo editam inscriptio innuit. Blondellus curiosè omnes Formatas scrutatus ait non nisi tredecim invenisse, quas exhibebo:

Prima à Sirmundo edita ex Codice antiquarum formularum, in quâ Ebroinus Bituricensis, ad Magnonem, Episcopum Senonensem pro Dodoberto Parochiano scribit. Vixit hic Magno imperante Carolo M.

II. Altera itidem Sirmundo debetur, quam proponit ad Sidonium Apollinarem, anno 817. scripta à Wolfeone Episcopo Constantiensi, ad Bernaldum Argentariensem pro Annone clerico.

III. Tetgaudi Trevirensis ad Carolum calvum & ejus Episcopos, anno 867.

IV. Est Johannis Episcopi Cameracensis, quâ Ursionem Presbyterum clero Gallicano commendat anno 865.

V. Liuvadus, Episcopus Venciensium in Provinciâ, scribit ad Wenitum Archiepiscopum Rothomagensis pro Wlfado Diacono. Anno 868. Vencium est locus Episcopalis in Galliâ, apud Gregorium Turonensem lib. 9. Meminit & liber provinciarum, ubi additur: Id est, Ventio. In alpibus maritimis, sub Archiepiscopo Ebrodunensi.

VI. Hedilus Episcopus Novidunensis scribit ad Didonem Episcopum Laudunensem, pro Arnegiso anno 892.

VII. Ejusdem Hedili ad Radulfum Episcopum Laudunensem pro Rogerio Diacono. 902.

VIII. Raginbertus Episcopus Vercellensis scribit Andream Episcopo Mediolanensi pro Walfredo Episcopo Iporediensi, quam

Fer-

*Blondellus  
non nisi tre-  
decim For-  
matas repe-  
rit.*

Ferrarius ex codice MSCto Ecclesiæ Vercellensis dedit , anno 904.

IX. Est apud Ivonem Carnotensem Ratbodi Trevirensis ad Rotbertum Metensem pro Gislemaro Presbytero. A. 906.

X. Dadonis Episcopi Virodunensis ad Ratbodum Trevirensis.

XI. Exhibetur à Gratiano Dist. 73. c. 1. anno 1012, scripta à Burchardo Wormaciensi ad Walterium Spirensis, pro Hermano Presbytero Wormaciensi.

XII. Est in c. 2. dist. 73.

XIII. Est Durandi Episcopi civitatis Arvernorum ad Radulfum Episcopum Turonensem.

Quidquid autem de Attico isto fuerit, utrum hoc breviarium concilii Niceni fecerit, quod acriter pernegat Blondellus; non tamen inde conficitur, non fuisse certam formam, secundum quam componi conveniret formatas. Imo quia tam pauca hodie existant formatæ, magis inde firmatur, convenisse de arcanis formulis, inter aliquos Episcoporum, inter quos clavis legendi illas, ut vulgò loquimur, communicata fuit, ad eundem modum, quo hodie etiam de cryptographemate fit. Neque putandum, quam formulam Gratianus & alii ediderunt, solam, unicam & perpetuam fuisse, & quasi ex lege præscriptam, quidquid etiam Gratiani verba tinniant: Sed exemplar tantum unius atque alterius, prout & nominatur *can. 1. dist. 73.* ex his, quæ publicè innotuerint. Imò non ipsam Formatam, sed clavim potius ejus, quam Gratianus & alii edidit, forsan dixeris. Non, inquam, hæc una forma publicè lege præscripta fuit, quam ex necessitate Episcopi & in perpetuum, exprimere necesse haberent. Sed convenêrunt, ut arcanæ scripturæ in posterum, sed aliæ atque aliæ, prout inventio hæc vel illa placeret, usurparentur inter hos, quibuscum familiariter communicari solebat. Harum quasdam publicatas postmodum verisimile est, non amplius in usu mansisse: Sed de aliâ crypti cogitatum fuisse, clavibus, ut hodie invicem, arcana hæc referantibus communicatis. Sed satis hac de re.

ECLOGA

CAPUT I.

Ad capit. 3. de cler. peregr.

S U M M A R I A.

1. De euntibus Hierosolymas. *grinationis peracta reporta-*
2. Epistola Gregorii Nysseni. *bant iterantes.*
3. Palmarum rami in signum pere-
4. Palmati.

**A**gitur de clerico peregrino, Hierosolymas sine commen-  
datitiis eunte. Et queritur, an liceat sacra celebrare ibi. *De euntibus Hierosoly-*  
De commendatitiis seu systaticis satis superiori capite. *mas.*  
De Hierosolymas euntibus quaestio ad Innocentium  
delata à Patriarchâ Hierosolymitano, quod his temporibus pe-  
regrinatio in Orientem maximè frequentaretur. Etsi jam  
quoque prioribus seculis mos iste obtinuit, ut constat ex epistolâ *Epistola*  
Gregorii Nysseni, *de euntibus Hierosolymam*, quam Petrus Moli- *Gregorii*  
naeus latinè vertit, & notis illustravit, quas examinat Gretserus *Nysseni.*  
*tom. 2. operum Nysseni p. 1084.* Exstat hæc epistola manu scripta in  
Augustissimâ Bibliothecâ Cæsareâ Vindobonensi, in multis ab *Palmar. ra-*  
impresâ Molinæi discrepans. Variationes exhibuit Dn. Lambe- *mi in signū*  
cius Bibliothecarius Cæsarius *lib. 5. commentarii de bibl. Cæs. pag.* *peregrina-*  
*mibi 82.* Cæterum redeuntes Hierosolymis, in signum consumta- *tionis per-*  
peregrinationis palmarum reportabant ramos, ut ex Guilielmo *acta repor-*  
Tyrio refert Alteserra hîc. Ideo & palmati dicebantur. Abbas *tabant ite-*  
Urspergensis: *Nonnulli palmati de Hierosolymis redeuntes Acris,* *rantes.*  
*qua & Accaron à nostris, expugnatam nunciant.* *Palmati.*

CAP. II.

Ad Tit. XXIII. De officio Archidiaconi.

S U M M A R I A.

1. Archidiaconi vicarii Episcopi.
2. Oculus Episcopi.
3. Diaconi septem in primitivâ Ecclesiâ.
4. Archi Levita.

F

Ar-



Archidiaconi, vicarii  
Episcopi.

**A**rchidiaconi sunt Episcoporum administri in solennibus sacrorum, & ordinationum, in dispensatione sacri ærarii & exercitio Jurisdictionis Episcopalis & vicarii Episcopi in omnibus, ut ex ordine Romano refert *c. 1. & c. ad hac.*

Oculus Episcopi.

*x. b. 1.* Hinc vocantur oculi Episcopi in *Epistola. I. Pseudo. Clementis ad Jacobum*, ut præ se fert, *fratrem Domini*. Unde Gratianus *can. Diaconi. 6. Dist. 93.* excerptit; Repetunt idem Pseudo-Anacletus *Epist. 1. Pseudo-Euaristus epist. 1.* Ita & Isidorus Petusiota *lib. 1. Epist. 29.* ad Lucium Archidiaconum, & *lib. 4. Epist. 188.* εἰ ὀφθαλμοὶ ἑπισκόπου τυχάνουσιν ἢ τὸ σέπτερ ἰουδαίων Διάκονοι. Imo non solum oculus, sed & auris, os, cor, anima, & omnia Episcopo est, ut vult idem Clemens *lib. 2. Constit. Apost. c. 44.* Concilio Niceno ex Arabico *can. 58.* de chorepiscopo & Archidiacono habetur, quod sint tanquam duæ manus, & duæ alæ, quibus Episcopus

Diaconi septem in primitivâ Ecclesiâ.

volat. In primitivâ Ecclesia ab Apostolis ordinati sunt septem Diaconi. *Act. 6. v. 3.* Qui christianis in commune vescentibus ministrabant. Primarius horum fuit Stephanus, unde cum *πρωτοδιάκονον* appellat Damascenus *lib. 4. de fide c. 16.* quod postea in singulis urbibus fiebat, ut Epistola Evaristi ad Episcopos Africae, sed hypobolimæa, habet. Ex istâ petitus est *can. XI. dist. 93.* Idem tamen traditur concilii Neo-Cæsariensis *can. 14. Διάκονοι ἐπὶ ἀσείρασι εἶνα καὶ τὸν κανόνα, καὶ πάνυ μεγάλη εἶη ἡ πόλις. Πειθεῖση ἢ ἀπὸ τῆς βίβλου τῶν πράξεων.* Ita & synodus sexta in Trullo *can. 16.* Sozomenus *lib. 7. hist. c. 19.* Διάκονοι ὡς ἡ Ρωμαίοις εἰσέτι νῦν ἔσονται εἰσὶν ἐπὶ καθ' ὁμοιότητα τῶν ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων χειροτονηθέντων. ὡς ἡ τοῖς ἄλλοις Διάφοροι ὁ τῶν ἀριθμὸς. Junge *can. Diaconi, qui quasi & seq. dist. 92.* Synodum Romanam sub Sylvestro Gregor. Tur. *lib. X. cap. 1.* Sigebertum *ad annum 575.* Horum ergo senior vocari cœpit Archidiaconus tempore concilii Niceni *can. 58.* ut est in editione Alphonfi Pisani, itemque Archi-Levita Prudentio & Goffrido Vindocinensi. Cæterum habetur hic titulus in compilatione primâ, quartâ, quintâ, & hac Gregorianâ.

Archi-Levita.

CAP.

## CAP. III.

## Ad cap. III. De off. Archidiac.

## S U M M A R I A.

1. Vera inscriptio Compil. primæ.
2. Capitulum petiitum ex registro Gregorii M.
3. Verba primæ compilationis eorumq; emendatio.
4. Similia, pro, cimilia, cimelia.
5. Rerum sacrarum custos archidiaconus.

**I**nscriptio in compilatione primâ est: Gregorius Honorato Archiepiscopo Salon. M<sup>stus</sup> Salanus Archidiacono Salernitano. Et *ptio Comita* vetus Terraconensis, teste A. August. In veteribus libris est; *Gregorius H. Diacono Salonitano*, editio Thomæ de Blavis de anno 1489. *Gregor. III. Archid. g. alomi.* Contius habet *Gregorio III. Archidiacono Salonit.* Retinenda omnino lectio: *Gregorius Honorato Archidiacono Salonitano* ex epistolâ decimâ *lib. 1. registri Gregorii.* Agitur autem de controversiâ inter Natalem Episcopum & eundem Honoratum *lib. 2. Epist. 16. registri*, unde desumptus *canon. 8. dist. 74.* cuius initium est: *Honoratus Archidiaconus Salo-* *nitane Ecclesie, & lib. 1. Epist. 19.* ex quâ est *dist. 74. can. 2.* ut habet *Capitulum petiitum ex* jam à nobis allegatus A. Augustinus, quem exscribunt hîc *registri Gregorii M.* Gregoriani. Ita verò habet prima compilatio.

*Ea, que nos (lege; nobis) contra vos, tu, & Episcopus tuus (ad-* *ditur quibusdam exemplaribus, contraria direxistis & c.) direxistis* *ma compila-* *tionis, eo-* *rumque* *emendatio.* *scripta, doluimus, agnoscentes, quod nihil inter vos caritas recogno-* *latis, ut si illic potest superante gratiâ causa vestri scandali diffiniri, mul-* *tum credimus animæ vestræ adquisisse: Si verò ita inter Vos discor-* *dia partes suas armavit, ut in timore (timore, registrum) scandali,* *voluntas vestra debeat manere, tu ad nostram audientiam indifferen-* *ter occurre, & Episcopus tuus pro se dirigat, quam elegerit personam* *instructam, ut omni subtili ratione perpensâ, quæ visa fuerint parti-* *bus audire (constituere) debeamus. Scire te vero volumus quod à*

*Similia*, *pro, cimilia*, *cimimilia* MSti Salani: Editio de Blavis Veneta: *Cinimilia*, alii, *cimitulia*. Legendum: cimelia, id est, pretiosa, κειμήλιον, suppellex pretiosior & quæ reponi meretur, unde & nomen, κείρα, repositum esse. Intelligit vasa sacra & alia Ecclesiæ ornamenta, donaria, thesaurum Vide *lib. 2. c. 16. Registri*) sunt collecta, non (num) sub omni sollicitudine & fide servantur (serventur.) Quod si quid ex eis vel negligentia, vel cujusquam fraude deperit, tu hoc reatu adstringeris (tu tanto magis in hoc reatu constringeris quanto. *Barcinon*) & reliqua. Addi potest data ex registro: quæ habet: *Dat. mense Novembri, indictione nona, anno primo*. Nimirum res sacrae universæ erant sub custodia Archidiaconi, uti & cura reliquiarum. Gregorius Turonensis *lib. 10. c. 1.* testatur, à Gregorio, tum Archidiacono Pelagii se reliquias per Diaconum petiisse. Etiam translatio reliquiarum ad eum spectabat, ut idem Turonensis *de glor. Confess. c. 86.*

*Rerum sacr. custos Archidiacon.*

## CAP. IV.

### Ad cap. X. de off. Archidiaconi.

#### S U M M A R I A.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Inscriptio emendatio.               | 7. Non nisi semel in anno debita.                                  |
| 2. Abbatia Arimarensis ubi.            | 8. Circada.  |
| 3. Hypothesis capituli.                | 9. Monasteria procurant Visitatores, nisi exemptionem impetrarunt. |
| 4. Monaster. S. Pierre Levif.          | 10. Ballivia, ballia.  |
| 5. Procuratio quid.                    | 11. Canonici majores & minores.                                    |
| 6. Archidiaconi visitantis procuratio. |  |
- I**nscriptio apud Raymundum habet: *Abbati Ariminenfi*: Sed scribendum ex compilatione *V. Arimarensi*. Est abbatia in diocesi Trecensi, ordinis S. Benedicti, Montier-ramey. *Sirmond. ad Petrum Cellensem Epist. 2. lib. 2.* Abbas S. Petri dene-gabat procurationem annuam monasterio S. Petri. *Compilatio V. Sancti Petri vivi*. Vocatur enim hoc monasterium, *S. Pierre le vif*.

*Inscriptio-nis emen-datio.*

*Abbatia A-rimarensis, ubi.*

*Hypothesis capituli.*

*Monast. S.*

*vis.* juxta civitatem Senonensem, ordinis S. Benedicti. Vide lib. 3. *Pierre le*  
Epistolarum Innocentii III. Epist. 10. editionis Bosqueti. Procura- *vis.*  
tio accipitur pro annonâ quæ ministratur Episcopo. Procurare est *Procuratio*  
epulis excipere. Accius apud Macrobius 1. Saturnal. 7. *quid.*

*Exercent epulis leti, famulosq; procurant.*

Corpora procurare Virgilius 9. Æneid. 32. Archidiacono igitur *coni visi-*  
cum visitatio inter fines sui Archidiaconatus competeret etiam *tantis pro-*  
procuratio debebatur, ratione visitationis *cap. dudum. de Elect. curatio.*  
*Cap. mandamus. 6. de officio Archidiacon. cap. auditis. de præscript. c. Non nisi se-*  
*cum Apostolus. c. procurationes. de Cens.* Competebat autem non *mel in anno*  
sæpius quam semel in anno. *d. cap. Mandamus. 6. h. r.* Hæc procu- *debita.*  
ratio pro visitatione dicitur alias circata seu circada. Ivo Car- *Circada.*  
notensis Epist. 286. *Nec non & Ecclesiam de Mundonis villâ liberam à*  
*synodo & circadâ.* Hincmarus Rhemensis epistolâ ad Ludovicum  
Balbum cap. 8. *Ut Ecclesia in isto regno per occasionabiles circadas*  
*non affligantur.* Circate in vett. glossis est circuire, circada ergo  
annona pro circuitione.

Tenentur itaque monasteria procurare Episcopum, sed & *Monasteria*  
Archidiaconum, nisi speciali privilegio sedis Apostolicæ fuerint *procurant*  
exempta. *cap. 1. & ult. de cens. in 6.* Est enim onus visitationi anne- *visitatores,*  
xum. Ait textus: Petiit insuper, ne de cætero facerent aliquos de *nisi exem-*  
Senonensi baillivia conveniri. Baillivia, ballivatus, Ballia, di- *ptione im-*  
ctio barbara, territorium, suos habens judices. *cap. Quoniam. de Ballivia,*  
*Immun. Eccl. in 6.* Ait textus: Per majores Ecclesiæ Senonensis *ballia.*  
Canonicos. Canonici ergo sunt in duplici differentiâ, alii ma- *Canonici*  
jores, alii minores, qui licet habeant stallum in choro, non ta- *majores &*  
men vocem habent in capitulo. Vel per majores intelliguntur *minores,*  
seniores, qui majores annis sunt.

## CAP. V.

## Ad tit. de officio Archipresbyteri.

## SUMMARI A.

1. Archipresbyter quo respectu prior, quo posterior Archidiacono.
2. Presbyteri Decani quotuplices.
3. Decanus Urbicus.
4. Ejus

F 3

4. E jus

4. Ejus officium.

6. Catechumenorum

5. Missa vel

7. vel Fidelium.

Archipresbyter quo respectu prior, quo posterior Archidiaconus.

Presbyteri Decani quotuplici. Decanus Urbicus. Officium ejus.

Missa, vel

Catechumenorum. Vel Fidelium.

**A**Rchipresbyter, primus Presbyterorum, *πρωτοπρεσβύτερος* Socrati *lib. 6. c. 9.* primas tenens post Episcopum, ratione ordinis, dignitate autem & officio minor est Archidiaconus, hujusque jurisdictioni subjacet. *can. Perlectis. dist. 25.* ideoque Archipresbyteri electio pertinet ad Archidiaconum, unâ cum clero & plebe. *Can. si in plebibus. dist. 63.* Et in his, quæ pertinent ad sacerdotale officium, Archipresbyter vices gerit Episcopi eo absente, exceptis, quæ sunt Episcopalis ordinis. *Can. perlectis. & cap. 2. de off. Archidiaconus.* Sunt autem Archipresbyteri, alias & Decani dicti, alii urbani seu civitatenses, Archipresbyteri de urbe, ut loquitur *c. 3. h. t.* alii rustici & forenses, qui rurales Decani. *c. ult. h. t.* Decanus urbicus est caput Capituli. *cap. cum inter universas de Elect. cap. post electionem. de concess. prebend. & primariam vocem habet in capitulo. cap. Auditis. de Elect.* Officium ejus est curam agere super omnes Presbyteros in ordine Presbyteriali, & assiduè stare in Ecclesia, *cap. 1. h. t.* Quod capitulum pseudepigraphum videtur. Ex concilio enim Toletano inscribitur. Sed verba sunt Isidori ex epistolâ ad Leufredum, Episcopum Cordubensem. Quod ex Ant. Augustino more suo descripserunt in notis suis Critici Romani. Assiduè, dicit capitulum, id est, omnibus horis canonicis. *cap. 2. h. t.* Porro in absentiam Episcopi missarum solemnia celebrat. Quid est Missa? Nomen neque Hebraicum neque Chaldaicum esse, non inficiabuntur harum linguarum periti. Esse originis merè Latinæ certissimum. Missa, id est, missio, ἀφθεσις, dimissio. In Liturgiâ veterum, inquit Casaubonus *Exercit. 16.* duplex fuit ἀφθεσις, seu missa. Prior, cum finitis lectionibus S. Scripturæ, & precibus illis, quibus poterant interesse Catechumeni, energumeni, & alii non initiati, vice Diaconi jubebantur exire, quibus sacram liturgiam spectare fas non erat: Posterior, cum sacris peractis & Eucharistiæ celebratione finitâ post *εὐχὴν ἀπολυτικὴν* à Diacono pronunciatam populo discedendi fiebat potestas. Itaque Missæ nomen non uno modo usurpatum reperitur. Post tempora Ambrosii & Augustini adeo

in-

increbuit hujus vocis usus, ut viri docti, Julianus interpres Novellarum Justiniani, Paulus Diaconus, auctor historiae miscellae, aliique plures vocabula Graeca ἐκκλησιάζειν, σὺνάγειν, σύναξις, λειτουργία per dictionem missa exprimerent. Vide Casaub. dicto loc. Salmas. apparatus ad libros de primatu. p. 173.

## CAP. VI.

## Ad cap. II. x. de offic. Archipresbyteri.

## S U M M A R I A.

1. Sacerdotes cardinales qui?
2. Duareno absentitur.
3. Baluzii sententia probatur.
4. Capituli hujus integratio.
5. Fontes sacri baptismi.

**T**Ribuitur Leoni IX. in quibusdam veteribus libris. Sacerdotes cardinales hoc loco non urbis solùm Romæ, sed aliarum etiam civitatum primos significari notant ad hoc capitulum Gregoriani; Sed verbis Antonii Augustini ipsissimis. Equidem Duareno *lib. 1. c. 13. de sacris Ecclesiae ministeriis* hunc locum interpretatur de Presbyteris, qui in majori Ecclesia, quam cathedralem dicimus rem divinam simul cum Episcopo faciunt canonicis appellatis: Sed rectius Dn. Baluzius ad Agobardum exponit, Presbyteros, rectores Ecclesiarum parochialium, quos, ut à Presbyteris pagensibus & vicanis distinguat Presbyteros Cardinales vocat. Ex epistolâ Zachariæ VII. ad Pipinum: *Ut Ecclesiae constitutæ in urbe dicantur tituli cardinales.* Sic etiam Gregorius Magnus *lib. 2. Epist. 9.* Cæterum periodos, à Raymond omissas, ex A. Augustino restituere Gregoriani: Sed præposterè: Nos ex primâ compilatione ita reconcinamus: Post verba; *Domini nostri Jesu Christi,* sequitur: *Ita ut vicissim eos sibimet succurrere faciat, quatenus à sacrosancto &c.* Post verba; *Cui committitur,* sequitur: *Verens sententiam illius sapientissimi, ubi dicitur: Maledictus homo, qui negligenter facit opera Dei.* Post verbum; *torpeant,* succedunt hæc: *Sed reminiscantur, quod labia sacerdotum custodiant scientiam, & legem requirunt ex ore ejus q. a. d. ex. c.* Quid vero volunt sibi siglæ istæ? Nimirum: *Quia Angelus*

Sacerdotes  
cardinales  
qui?

Duareno  
absentitur.

Baluzii sen-  
tentia pro-  
batur.

Capituli  
hujus inte-  
gratio.

lus

Fontes sacri  
baptismi.

lus Domini exercituum est, ex Malachiâ cap. 2. Porrò dicitur in capitulo, quod Archipresbyteri quoque est fontes benedicere. Quos fontes? baptismales. Ita enim baptisteria vocabant. Appellationis ratio, quod olim extra Ecclesias in fontibus & fluminibus baptizabant. Walafr. Strabo *de reb. Eccl. c. 26. sciendum primò in fluviiis & fontibus baptisatos credentes*, inquit. Inde baptisteria inventa, sed extra Ecclesiam quoque. Tandem intra Ecclesias parochiales receptus baptismus. Paulinus *Epist. XII. can. venit. 71. can. prima. 73. De consecr. distinct. 4.* Porro potest Archipresbyter infirmum oleo perungere, pœnitentem infirmum reconciliare, consulto scilicet Episcopo. Nempe pœnitentem occultorum peccatorum. *can. Presbyteri. 4. caus. 26. q. 6.* Publicos enim pœnitentes reconciliare solius est Episcopi. *can. Ministrare. can. Presbyter. 4. caus. 26. q. 6.* Publicos tamen pœnitentes presbyter præsentat Episcopo pro foribus Ecclesiæ. *Can. in capite. 64. dist. 50.*

## C A P. VII.

### Ad tit. XXV. de officio Primicerii.

#### S U M M A R I U M.

i. Primicerius quis & unde dicatur?

Primicerius  
quis & unde  
dicatur.

**P**rimicerius propriè est, qui in primâ cerâ heres scriptus. Quod à testamentis manavit, in tabulas ceratas referri solitis, in quibus prima cera & ima dicebatur. Præcipuum in testamento honorem & portionem habebant in primâ cerâ scripti heredes. Inde nomen primicerii, ait alicubi Salmasius. Aliter Onuphrius Panvinius, scilicet: *Primicerius à cereo fit (ut auctores sunt Divus Hieronymus & Cassiodorus in epistolis) quoniam & Græcè πρῶτος λέγεται & dicitur. Idem autem sonat, quod primus ceterum.* Rectius in genere, primicerius est qui primus notatur in tabulâ ceratâ, id est albo vel laterculo munere aliquo fungentium, cujus nomen primo loco inter officia scriptum reperitur, qui primam & præcipuam cujusque conditionis dignitatem denotat, qui primus in quocunque ordine est. Suidas: *Πρῶτος ὁ πρῶτος τῆς τάξεως τῆς τοῦ ἑκάστου.* In Republicâ erant Primicerii duplici

plici differentiâ: Alii Primicerii totius officii palatini seu comitis sacrarum largitionum, alii Primicerii singulorum scriniorum. *l. 19. & 20. C.T. de Palat. Sac. larg.* Vide Jacobum Godofredum in notitiâ dignitatum & ad *l. 19. C.T. de Palatinis S.L.* ubi Gutherium *de offic. dom. August.* acriter reprehendit. At in Ecclesiâ quis Primicerius intelligatur, adeo non est in liquido. Plerique Doctorem Cantorem seu Præcantorem fuisse existimant. Quale jam olim ejus munus fuerit, ostendit Isidorus epistolâ ad Ludifredum Episcopum: Ad Primicerium, inquit, pertinent Acoluthi, Exorcistæ, Psalmistæ, atque lectores, signum quoque dandum pro officio clericorum, pro vitæ honestate, & officium meditandi, & peragendi sollicitudo. Lectiones & benedictiones, Psalmum, laudes, offertorium, & responsoria quis clericorum dicere debeat, ordo quoque & modus Psallendi in choro pro solennitate & tempore, ordinatio pro luminaribus deportandis, si quid etiam necessarium, pro reparatione basilicarum, quæ sunt in urbe, ipse denunciât Sacerdoti: Epistolas Episcopi pro diebus jejuniorum parochitanis per ostiarios iste distinguit, quos verò emendare non valet, eorum excessus ad agnitionem Episcopi defert. Basilicarios ipse constituit & matriculas ipse disponit. Primicerius itaque primus erat atque magister scholæ cantorum. Onuphrius Panvinius ita habet: Temporibus S. Sylvestri Papæ psalmodia quotidiana in omnibus Ecclesiis tunc non erat in usu. Nam singulis urbis basilicis redditus adhuc assignati non erant, quibus possent singula collegia canentium nutrire. Ideoque schola Cantorum instituta fuit, quæ urbi communis erat, & ad stationes, processiones, singulasq; diebus eorundem festis, Ecclesias urbis conveniebat, ibique sacra officia & missarum solennia Pontifice vel Presbytero celebrante decantabat. Hæc schola communibus sumtibus vivebat, habebatque magnæ in urbe dignitatis & existimationis Præfectum, qui Primicerius, aliàs Prior scholæ Cantorum vocabatur, cujus opera optimi juvenes selecti in cantu, lectione sacrorum librorum & optimis moribus instituebantur. Hinc origo Primiceriorum per alias orbis terrarum Ecclesias Cathedrales manavit, de quorum officio & dignitate vigesimâ quintâ distin-

*In republ. Primicerii duplices.*

*In Ecclesiâ Præfectus Cantorum.*

*Onuphrii Panvini explicatio.*



*Scholas Cantorum an instituerit Gregorius Papa. Statutum, vetus de Primicerio ordinis Romani.* ctione mentio est. Quamquam Johannes Diaconus *libro 2. de vitâ sancti Gregorii Papæ* ipsam hanc scholam sanctum Gregorium constituisse scribit, quod potius de ejus quadam reformatione sive restitutione intelligendum esse opinor, quàm de primâ institutione, quam longè ante fuisse necesse est. De hac scholâ Cantorum hujusmodi statutum reperi in libro pervetusto Romani ordinis. Primum in quacunq;ue scholâ reperti pueri benè psallentes, tollantur, inde nutriantur in scholâ cantorum, & postea fiant cubicularii: Si autem nobilium pueri fuerint, statim in cubiculo nutriantur & hanc accipiant potestatem ab Archidiacono, ut liceat eis super linteum villosum sedere, quod mos est ponere super sellam equi. &c. Schola porrò cantorum in plures choros dividebatur. Chorus autem, auctore Isidoro, propriè est multitudo canentium, inde dictus, quod initio in modum coronæ circum aras starent, & ita cantores psallerent. In scholâ cantorum post Primicerium quatuor majores reliquis erant, primus, secundus, tertius, quartus scholæ vocati. Quarum tres primi paraphonistæ, quartus verò archiparaphonista dicebatur. Cujus officium erat Pontifici de cantoribus, cum quid opus erat, nunciare. Ita libelli Romani ordinis.

*Chorus quid, secundum Isidor.*

*Paraphonista.*

## C A P. VIII.

Ad tit. XXVI. & XXVII. de officio Sacristæ,  
& custodis.

## S U M M A R I A.

1. Sacrista Archidiacono subest. 3. Σκευοφύλαξ.  
2. Thesaurarius. 4. Custos, officium dignitatis

*Sacrista Archidiacono subest. Thesaurarius.*

**E**T Sacrista quoque Archidiacono subest, idem qui Thesaurarius, qui custodit vasa sacra, *κειμήλια*, ut Balsamon vocat *Joan. 12. syn. 7. CPolit.* totumque Ecclesiæ thesaurum. Ita accipit Cæsarius *lib. 1. de mimc. c. 35.* Cum esset, ait, tempore quodam hebdomadarius coquina & sabbato secundum consuetudinem lavaret pedes Monachorum, (Godefridus scilicet) dicto completorio, cum clausisset oratorium, erat enim Sacrista, apparuit ei linteus

pr. 2.

*præcinctus.* Dicitur etiam Fulberto *epist. 103.* Capitarius, apud Codinum, *Σκευοφύλαξ lib. 1.* Propter hujus officii gravitatem, continua ab eo requiritur residentia.

Σκευοφύ-  
λαξ.

Officium Custodis est inter dignitates, non nudum ministerium. Refertur enim *cap. ult. h. t.* à Concilio Toletano inter tres columnas Ecclesiæ, post Archidiaconum & Archipresbyterum: Sed de hoc nihil certi definiti potest, propter varias Ecclesiarum consuetudines, ad quas omnia hæc officiorum & dignitatum jura referri debere benè monet Glossa.

Custos, offi-  
cium digni-  
tatis.

## CAP. IX.

## Ad tit. XXVIII. capit. I. de officio Vicarii.

## S U M M A R I A.

1. Vicarius Episcopi.

3. Missus.

2. Officialis.

4. Creditus Episcopi.

**T**itulus in primâ Compilatione ita concipitur: *De officio Vicarii & ejus beneficio.* Vicarium Episcopus sibi constituere potest, imò & debet. *can. cum simus. 3. caus. 9. q. 3. can. In novâ. 22. c. 16. q. 7. c. quoniam 14. de off. jud. ord. c. Romana. & tot. tit. de offic. vicarii in 6.* Adeo, ut moram faciente Episcopo datio vicarii devolvatur ad Metropolitanum, *c. ult. de suppl. negl. Pralat. in 6.* Hic aliàs & Officialis dicebatur. *cap. ex frequen. tibus 3. X. de Instit. c. in tantum. x. de Simon. c. cum generali. de off. Vic. in 6.* Item & Missus Episcopi, *c. 1. de frig. & malef. ad differ. tiam Missorum dominicorum.* Idem dicebatur & creditus Episcopi, & creditarius, apud Gregorium Turonensem *lib. 9. c. 10.* & in vitâ Ludovici Pii & apud Aimon. *Contin. lib. 5. c. 10.* Sed hodie alius est vicarius atque Officialis. Nam vicarius habet jurisdictionem spiritualem, extra judiciale, non contentiosam, quæ in jure judicioque versatur.

Vicarius  
Episcopi.

Officialis.

Missus.

Creditus B-  
piscopi.

In *cap. I.* habetur decretalis Alexandri III. ad Episcopum Norvicensem, de quo *Ecloga 2. c. 12. supm.* Nec non ad Archidiaconum Gualterum; Ita enim sigla G. legenda est, ut codex Tarraconensis & Barcinonensis habent, quibus consonat MStus Salanus. Hugo Presbyter Monachos de Ramefcia. (*Ita enim concilium*

*Lateranense*) & Thomam clericum suum petendo vicariam Ecclesie de Burneliâ (*Bourville, concilium*) à quâ XX. annis retrocessit, in diversis postea Ecclesiis personatum adeptus multipliciter vexare præsumserat. Decidit Pontifex, non esse Canonicum, ut qui curam animarum in diversis habet Ecclesiis, vicarius fiat in alienis. Addit prima compilatio: *d. u. per A. f. præ. m. qua. rei veritate plenius inquisitâ si ita esse noveritis, prædictum Presbyterum &c.* Lege: Discretionem vestram per Apostolicæ sedis præcepta mandamus, quatenus rei veritate plenius inquisita, si ita esse noveritis, prædictum Presbyterum à petitione supra dictæ Vicariæ desistere compellatis, *ap. & oc. re.* appellatione & occasione remota districtius compellatis, non obstantibus literis, si quas tacita veritate per nuncium à nobis impetravit. Extirpari etenim debent, quæ de avaritiæ radice procedunt, & canonum contraria sunt rationi vel sanctioni. Ita capitulum II. compilationis primæ.

## CAP. X.

## Ad cap. II. &amp; III. de officio Vicarii.

## S U M M A R I A.

1. Inscriptio Capituli.

3. Pars capituli nostri.

2. Elis.

Inscriptio  
Capituli,  
Elis.  
Pars capi-  
tuli nostri.

**I**Nscriptio apud Raymundum ita concipitur: *Eliensi Episcopo P. C.* Elis est urbs primaria provinciæ in Peloponneso. Sigla *P. C.* denotant: *Pars capituli.* Sed cujus? Vetus Tarraconensis, ait A. Augustinus, *Venientes*, habet. Sed rectius: *Veniens*; ex parte 39. c. 5. & 6. post concilium *Lateranense*, cujus titulus est: De vicariis monachorum & aliorum: Ita autem habet: *Veniens ad nos P. Rector Ecclesie de Gestan. suâ nobis insinuatione proposuit, quod ipse Johanni de Fescam (sive Hocham.) qui multos habet ecclesiasticos redditus & Vicarias in Ecclesiis pluribus vicariam de Gestan. sub annuâ trium marcarum pensione concessit, cum redditus illius Vicariæ quatuor marcas valeant annuatim &c.* Sic & in cap. adhec. 3. b. 1. Inscriptio sic habet: *Wintoniensi Episcopo pars c. quamvis si-*  
mus.

mus. Hæc est pars capituli sexti titulo proximo, ubi multa omisit Raymundus, quæ Contiis & Gregoriani correctores restituerunt.

## CAP. XI.

## Ad cap. V. de officio Vicarii.

## S U M M A R I A.

1. Inscriptio Capituli.

2. Vicarii Episcopi.

3. Alii Urbis.

4. Sub hujus dispositione qua provincia?

5. Vicarii Urbis jurisdictio.

**E**Xstat in compilatione III. Inscriptio ibi plenior quàm apud Raymundum hæc est: *Innocentius III. Abbati Sancti Engelenii, & Plebano S. Petri in Pixide & B. Canonico Plebis de Martuberisens. & Floren. diac.* Id quod explicet, qui potest. Agitur autem in hoc capitulo non de Vicario Episcopi, sed vicarii Episcopi, de quo *l. 3. 4. C. T. de tyron. l. 6. de adult. l. ult. C. T. scopi. Quib. eq. usus. l. 2. C. eod. de incest. nupt. l. 2. Eod. Unde. l. 2. de Princip. Agen. in reb. l. 61. C. Eod. de appell.* Sub ejus dispositione erant Consulariis Campania, Tuscia, Umbria, Picenum suburbicaria, Sicilia, Corrector Apuliæ & Calabriæ, Bruttiorum & Lucania, Præsides Samnii, Sardinia, Corsica Valerica. *Vid. Notit. Imp. Jurisdictionem habebat intra urbem & quadragesimum lapidem. Cassiodor. lib. 6. Epist. 15. in formulâ Vicarii Urbis.* Tempore Innocentii, postquam vicario urbis reddita esset potestas sua, præter jurisdictionem urbicam, habuisse diocesim propriam in tractu, qui jacet inter Capuanam & Pisanam provinciam, indicat Innocentius noster hoc capitulo. Restitutam autem fuisse & Præfecto Urbi suam dignitatem ex ipso Innocentio *lib. 1. Epist. 23.* liquet, ubi Petrus Præfectus Urbi Innocentio III. jam consecrato, fidem & homagium ligium præstitit, & per traditionem manti præfecturæ investituram recepit.

## CAP. XII.

## Ad Tit. XXIX. de officio &amp; potestate Judicis delegati.

## S U M M A R I A.

- |                                   |  |
|-----------------------------------|--|
| 1. Inscriptio Cap. I.             | 6. Cap. 5. suppletur ab initio.  |
| 2. Bathoniens. Episcopus.         | 7. Capitulis 6. omissa restituuntur.   |
| 3. Cap. 2. inscriptio corrigenda. | 8. Capitulum: Sententiam, quod in prima collectione est, Raymundo non ponitur, & alia. |
| 4. Cap. 4. inscriptio.            |  |
| 5. Apostolicus quis intelligatur? |  |

**I**N primâ collectione primum capitulum est quidem ejusdem Alexandri III. ad London. Episcopum, & incipit: Cum tibi sit. Sed omissum est à Raymundo. Caput autem secundum hujusce collectionis, primum est Raymundo, & inscribitur in Bathoniens. parte 7. c. 1. post concilium Lateranense; Bathoniensi Episcopo. Is Cantuariensi Archiepiscopo subest. Capitulum 2. apud Raymundum Bononiensi Episcopo dirigitur: At in primâ collectione ad Eboracensem scriptum reperitur. Quod verius est. Et ita in concilio de parte 7. c. 3. & parte 36. c. 5. & parte 41. c. 7. Eboracensi, inquam, non Episcopo ut prima compilatio: Sed Archiepiscopo, quemadmodum ex Barcinonensi libro monet A. Augustinus. Addi autem debet inscriptioni: *Pars c. Inter ceteras. Quæ verba & Contius habet.* Est autem pars ista cap. 4. de re script. & cap. 9. de sentent. & re judic. In fine adduntur in primâ compilatione: *Item cum aliqua causa ap. re. (appellatione remota) committitur, & sententia fertur iniqua, eam evacuari oportet, nec ei debet stari, si manifestam continet iniquitatem.* Quam laciniam Raymundus in cap. 9. de sentent. & re jud. rejecit. In cap. IV. inscriptio primæ collectionis habetur: *Wilhelmo Can. electo. Raymundus: V. Carnot. Electo.* Et ita in concilio parte 7. c. 6. In medio textus, pro his, quæ Raymundus ponit; ab Apostolicâ sede, simpliciter habetur: *Ab Apostolico.* Ita enim vocabatur Romanus Pontifex. Ita Lupus Ferrariensis epist. 68. Et in Litaniis:

Do-

*Domnum Apostolicum conservare digneris.* Et passim alibi. Cum tamen superioribus temporibus liceret Metropolitano titulū tribuere Apostolici, cujus moris initia referenda putat P. de Marcā ad tempora Gregorii Turonensis. Sed sequens ætas abstinuit ab illā simplicitate, & deinceps Apostolici titulus soli Romano Pontifici tributus fuit: Caput 5. in primā compilatione incipit: *Sicut Romana: Et infra. Præterea.* Scribendum: *Pars capituli; Cap. 5. sup. Sicut Romana.* Nempe cap. 1. de Rescript. In capitulo ipso omisit Raymundus post verba; non ordinario, *sine literis commissoriis.* Nempe his, quæ paulò post in textu hoc literæ commissionis dicuntur. In cap. 6. multa omisit Raymundus: Ita compilatio prima: *Quamvis simus multiplicitate negotiorum impliciti & gravibus diversisq; sollicitudinibus occupati, nos tamen cogit præter commune debitum tua fraternæ caritatis & dilectio, quâ personam tuam diligimus tuis consultationibus respondere, ne videamur indiscussa relinquere, quæ nobis enodanda tua voluit discretio presentare. Innotescat autem sollicitudini tuæ, quod Judex à nobis delegatus causam sibi commissam potest aliis delegare, aut totam audiendam & terminandam, aut etiam ut allegationes audiant & rationes & attestaciones recipiant & sententias sibi servant, vel ut horum aliquid tantummodo faciant, juxta voluntatem & beneplacitum delegantis. Quamvis non possit eand. causam alii ap. postpositâ delegare etsi sibi sit appellatione re. commissâ. Si verò &c.* Hæc & Centius restituerat, & addiderunt Gregoriani. Porrò in primâ collectione interjicitur capitulum; *Sententiam,* ad eundem Wintoniensem Episcopum, quod Raymundus omisit. Similiter post cap. 8. interponuntur alia, Raymundo omissa, unum ad Hervordensem Episcopum, incipiens; *Intelleximus.* Item alterum, cujus initium: *Si autem.* Et tertium, quod inscribitur: *G. Londinen. & R. Wigorn. Episcopis.*

Capitis 6.  
omissa re-  
sistuntur.

Capitulum:  
Sententiã,  
quod in pri-  
mâ colle-  
ctione est,  
Raymundo  
nō ponitur,  
& alia.

## CAP. XIII.

Ad cap. X. XVI. & XX. de off. & potest.  
jud. del.

S U M-

## S I L M M A R I A.

1. De Abbate S. Albini.
2. Et lite super Eccles. S. Johannis.
3. In cap. 16. ad quem rescribat Alexander.
4. Bemegardis, legendum Ermegardis, Irmegardis.
5. Furiolensis & Vapicensis menda.
6. Vapingum.
7. Wellebec & Olseston.
8. Maderi laus.
9. Gladius S. Adriani.

De Abbate  
S. Albini.  
Et lite super  
Eccl. S. Job.

In cap. 16. ad  
quẽ rescri-  
bat Alex.

Bemegar-  
dis, legendũ  
Ermegar-  
dis, Irme-  
gardis.

Furiolensis  
& Vapicen-  
sis menda.

Vapingum.  
Wellebec &  
Olseston.

Maderi  
laus.

Gladius S.  
Adriani.

**E**St in compilatione primã in ordine XV. ad Abbatem S. Albini. Alii præferunt, *Albani*. Sed non mutò. Fortassis consultus fuit Alexander ab hoc Abbate super Ecclesiã S. Johannis super Ligerim, quam Urbani II. Pontificis judicio Albinianis, pro Cerdonensi, quam repetebant Vindocinenses coacti sunt dare, quæ lis resuscitata postea subinde est; Sed Albiniani obtinuerunt. Vide Goffredum Vindocinensem lib. 1. Epist. 8. & ibi Sirmundum. In cap. XVI. Rescribit Alexander, sed non additum est, cui. Addendum ex registro Alexandri: *Arelatensi Archiepiscopo, & S. Maria inuolante* (lege: In viã latã) *diacono Cardinali*. Verba textus in primã compilatione sic habent. Causam matrimonii, quæ inter Bemegardam, mulierem, & Blasium, Lege: Irmegardam, vel Ermegardam, ut Tarraconensis & in concilio. Et Blancatium vel Blascatium. Pro Furiolensi & Vapicenensi substitue Foro-Juliensem & Vapincensem Episcopos. Vapingum, Gap. teste Simlero, urbs Galliæ Narbonensis, in Delphinatu, apud Alpes Cottias, Uterq; Episcopus Galliæ est, sub Archiepiscopo Aquensi, Capituli XX. inscriptio est: Urbanus III. de Wellebec & de Olseston, Abbatib;. Eadem nomina occurrunt in compilatione primã, cap. 25. X. de test. & attest. Has abbatias ego adhuc quæro: Meminit castri *Wallebec*, quod anno 1115. Saxoniam quidam proceres adversus Henricum V. Imperatorem ædificaverunt auctor chronici Pegaviensis, quem edidit amicus noster Dn. Joachimus Johannes Maderus, polyhistor eximius anno 1665. ubi & pag. 259. mentio fit Sigfridi Comitum de Wallebecke. Sed & auctor vitæ Henrici claudi c. 4. nominat locum Walbech, ubi gladius S. Adriani pro reliquiis servatus fuit, quem Gretserus in notis putat

tat eundem esse, qui Ditmaro *Chronico lib. 6.* Wallebiz dicitur. Sed diversa sunt loca, *Waltwig & Walbeck.* Alterum nomen non minus variè scribitur: *Wellebech & Olebech,* liber Barcinonensis. In conciliis *Sulvestun. In cap. 25. desest. & attest.* in primâ compilatione, *Vellebec & Oselveston.* Quid si Oldesten, Ulsen seu Ulsinense, in Ducatu Luneburgensi, diœcesi Werdeni? Sed fatis & super de isto.

## CAP. XIV.

## Ad cap. 22. 23. de off. &amp; pot. Jud. del.

## S U M M A R I A.

- |  |                          |
|--|--------------------------|
| 1. Cap. 22. Innocentii III. ubi habetur. | 5. Capit. 23.            |
| 2. Mons regalis, Monreale.               | 6. Cœnobium de Conchis?  |
| 3. Mons regalis, Mondevi.                | 7. Hypothesis cap.       |
| 4. Rossanum ubi?                         | 8. Lexovii.              |
|  | 9. Monasterium de Becco. |

**I**N cap. 22. rescribit Innocentius III. Rheginensi Archiepiscopo & Episcopo Cephaludensi. Habetur in collectione III. & in Epistolis Innocentii III. lib. 1. Causa vertebatur inter Archiepiscopos Montis regalis & Rossanensem. Mons-regalis, *Monreale*, urbs Archiepiscopalis regni Siciliae, beneficio Lucii III. anno 1183. Alius est Mons regalis, Mondevi, in Ducatu Pedemontano, sub Archiepiscopo Taurinensi. Rossanum, *Rosano*, olim Roscianum, urbs Archiepiscopalis Magnæ Græciæ. Sedem ex oppido Thurio huc translata scribit Barrius *lib. 5. de antiquit. Calabria* additque Rossanensem Ecclesiam suo ævo Latinam esse factam, quæ antè ritum & linguam in sacris Græcam servasset. Inter hos ergo vertebatur super quibusdam decimis. Et causa committebatur à Pontifice Panormitano Capuano & Rhegiensi Archiepiscopis, à quibus fuit appellatum. Pontifex causam appellationis commisit Archiepiscopo Rhegiensi & Episcopo Cephaludensi.

In capite 23. rescribit idem Pontifex conventui de Conchis, qui est in Normanniâ, aliàs Castellionis dictum, quod Rogerius de Zoënio construxit, ubi Gilbertus Abbas floruit, ut habet Or-

Cap. 22. Innocentii III. ubi habetur.

Mons regalis, Monreale.

Mons regalis, Mondevi  
Rossanum, ubi.

Capit. 23.  
Cœnobium de Conchis.

H

deri-



- Hypothesis cap.* dericus Vitalis *lib. 3.* Controvertebatur inter monachos istius cœnobii & ejus Abbatem. Tandem à Pontifice delegata est causa
- Lexovii.* Lexoviensi Episcopo. Ita enim legendum. Civitas Lexoviorum, *Lisieux*, urbs Episcopalis in Normanniâ, sub Metropoli Rotomagensi. Lexoviensi, inquam, & Abbati de Becco. Ejusdem
- Monasteriū de Becco.* Abbatis mentio fit cap. 16. supra de Rescript. Beccense monasterium & ipsum est in Normanniâ in diœcesi Lexoviensi anno MXXXIV. conditum, à Gisberto Comite Brionna.

## CAP. XV.

## Ad cap. 32. de offic. &amp; pot. Jud. del.

## S U M M A R I A.

1. *Innocentii rescriptum.*
2. *Emendatores Gregoriani notati.*
3. *Monasterium Vizilianense ubi & à quo constructum.*
4. *Jam alit Canonicos seculares.*

*Innocentii rescriptum.*

**I**nnoentius tertius rescribit Parisiensi & Trecensi Episcopis, & Abbati S. Genovefæ, super molendino, stagno atque domo, quæ Petrus Comes Altissiodorensis in fundo monasterii Vergiliacensis molitus fuerit. Vergiliacensis habent plerique excusi, & MStus Salanus; Compilatio III. quam edidit A. Augustinus Wiresaliacensis. Emendatores Gregoriani in notis his legi jubent; Verziliacensis, vel, Vecoliacensis. Quâ auctoritate vel ratione, nescio. Rectè legitur Viziliacensis. Viziliacus oppidum est Eduorum in diœcesi Augustodunensi, ubi nobile B. Magdanenæ monasterium à Gerardo Comite, Bertâque uxore Caroli Calvi temporibus conditum. De eodem Petrus Cluniacensis Abbas *lib. 4. Epist. 28. In partibus nostris Viziliacus, excepto Cluniaco in nostri ordinis stadiis nullum patitur habere priorem.* Nunc isthoc cœnobium pro monachis Canonicos habet seculares. Vide Goffridum Vindocensem & ibi eruditum commentatorem Sirmondum *not. pag. 16.*

*Emendatores Gregoriani notati.*

*Monasteriū Viziliacense, ubi & à quo constructum.*

*Jam alit Canonicos seculares.*

CAP.

## CAP. XVI.

Ad cap. 37. de offic. &amp; potest. Jud. deleg.

## S U M M A R I A.

- |                                 |   |
|---------------------------------|---|
| 1. Capitulum suppletur.         | 6. Sarcophagi porphyretici.               |
| 2. Archiepiscopus Messanus.     | 7. Episcopo dilapidatori datur Coadjutor. |
| 3. Messena civitas.             | 8. Gregorii IX. decretalis hac de re.     |
| 4. Archiepiscopatus Rhegiensis. |   |
| 5. Cephaludis urbs.             |   |

**H**onorius III. Messanensi & Rhegiensi Archiepiscopis re-  
 scribit in hæc verba: *Rogatus olim à vobis & Fratibus no-*  
*stris carissimis in Christo; Filius noster Fridericus Romano-*  
*rum Imperator & semper Augustus & Rex Sicilia ut resti-*  
*tueret venerabilem fratrem nostrum Cephaludensem Episcopum,*  
*quem spoliaverat Ecclesia & aliis bonis suis se id liberè facturum vi-*  
*vâ voce promisit, unde per scripta nostra vener. fratri nostro Ar-*  
*chiepiscopo Cusentino nostris dedimus literis in mandatis ut vene-*  
*rabilem Fr. nostrum Cephalud. Episcopum restitui faceret &c.*

Archiepiscopus Messanus ejus temporis Berardus erat, ut ex *Archiepi-*  
 Rubei historiâ Ravennate constat. Messana, Plinio & aliis, *scopus Mes-*  
 hodiè Messina, *Μεσσηνή* Straboni & Ptolemæo, Siciliae urbs & em-  
 porium ad fretum Mamertinum. Rhegiensis Archiepiscopus *Messana ci-*  
 erat Landus, Friderici II. Imperatoris familiaris. Narrat hinc *vitas.*  
 duobus, quomodo impetrarit ab Imperatore Friderico, ut resti-  
 tueretur Cephaludensis Episcopus. Is erat Johannes de Neapoli. *Archiepisc.*  
 Cephaludis civitas Siciliae, Cifalu, Episcopali sede à Rogerio II. *Rhegiensis.*  
 Rege Siciliae donata. Suffraganea est Archiepiscopo Messanensi. *Cephaludis*  
 Cephaludensis ita restitutus suspectus fiebat de dilapidatione. *urbs.*  
 Thomas Fazelus rer. sicular. lib. 8. decade posteriori tradit Roge-  
 rium Regem in Cephaludensi Ecclesia posuisse Sarcophagos duos *Sarcophagi*  
 porphyreticos perpetuò ibi mansuros: Quos post obitum ejus *porphyre-*  
 Imp. Fridericus II. Panorum transtulerit, Johanne de Neapoli *tici.*  
 Barcinonam priùs ablegato, ut liberius perficeret, quod inten-  
 de-

debat. Inde vir quidam doctus conjicit Johannem Honorio suspectum dilapidationis factum, & forsan callidè Imperatorem Honorio subrepisse in caput Episcopi. Quod mihi non sit verisimile, & nimis longè petita conjectura est. Cæterùm Pontifex ut occurreret suspecto, Coadjutorem ei adhibere jubet, administratione interdictâ, secundum *can. Qui eâ. 9. can. 3. q. 2.* Ad exemplum suspecti tutoris. *l. Eum quem. C. de susp. tut.* Simile re-scriptum exhibet Mattheus Paris, *sub anno Christi 1231.* Gregorii IX. ad Abbatem Montis Belli, quo si à visitoribus Abbas non exemptus nimis negligens & remissus inventus fuerit à Diœcesano Coadjutor ei datur, usque ad proximum capitulum generale: Quod si dilapidationis reus convictus fuerit, Abbatia pellitur per Diœcesanum, dato interim administratore, qui temporalium curam gerat, donec de alio Abbate prospectum fuerit, quod & sancitum antea ab Honorio III. *cap. ult. de Statu Monach.*

*Episcopo dilapidatori datur Coadjutor. Gregorii IX. decretalis hac de re.*

## C A P. XVII.

## Ad cap. 3. de Officio Legati.

## S U M M A R I A.

1. De Legatis Pontificis ubi dixi.
2. τοποθεται qui?
3. Dicti etiam legati.
4. Litera tractoria.
5. Formula tractoriarum.
6. Tractoria Imperat.
7. Conjectum quid?
8. De sumtibus in missos faciendis.
9. De tractoriis Romanorum.
10. Capituli nostri hypothesis.

*De legatis Pontificis ubi dixi.*

*τοποθεται qui.*

*Dicti etiam Legati.*

*Litera tractoria.*

**D**E Legatis Pontificis, eorumque differentiâ diximus semestrium primo, *Ecloga 2. c. 13.* Hoc insuper adjiciamus, Dadinum, cum Legatorum triplex genus fecisset, hos, qui vices apostolicas in certâ suscipiunt provinciâ eosdem esse *τοποθεταις*, idq; auctoritate Balsamonis in synodo Carthaginensî, affirmare. Quod secus habet. *τοποθεταις* dicebantur in synodis clerici, qui locos tuebantur & occupabant eorum, qui non poterant in synodum venire. Dicebantur sanè & hi Legati seu vicarii, sed Episcoporum absentium, quorum locum tenebant literis tractoriis exhibitis. Literas autem tractorias vocabat *etas illa*.

illa, quibus Episcopi committebant vices suas iis, quos ad synodos mittebant. Docet id formula inter editas cum operibus Hincmari & in calce Tomi II. conciliorum Galliarum, numero XI. quæ sic habet: *Anno ab incarnatione Domini 868 convenientibus ap. Curisiacum in Ecclesia pro examinatione Willeberti Presbyteri, qui futurus erat Catalaunensis Episcopus, Hincmaro Laudunensium Episcopo, Hodone Belgivacorum Episcopo, cum Legatis Hrotadi, Erpoini, Hilmeradi, Raginelmi, & Johannis & ejusdem diœcesis Coepiscoporum, vicem eorum Patrum suorum cum tractoriis, sicut regula precipiunt, exhibentibus & quamplurimis Abbatibus, canonicis, Monachis, Presbyteris, Diaconibus atq; Subdiaconibus.* Idem patet ex formulâ XIV, quæ continet tractoriam, quam Prudentius Tricassium Episcopus per vicarium suum mittit ad celebrandam electionem Episcopi Parisiensis. Vide *P. de Marcâ lib. 6. c. 3.* Erant ergo tractoriæ epistolæ ab Episcopis privatim scriptæ, quibus excusant, dum concilio adesse non poterant, canone concilii Africani 76. Aliæ erant tractoriæ quarum beneficio suscipiebantur Missi dominici & conjectum accipiebant, id est, pensitationem & tributum, quod ab iis haut dubiè exigebatur, quorum causâ Legati mittebantur. In tractoriis porro adnotari solebat, quantum cuique misso pro ejus conditione suppeditari oporteret. Habetur inter capitulares libro IV. caput 73. cujus lemma est: *De dispensa missorum dominicorum.* Ita habet: *De dispensa Missorum nostrorum, qualiter unicuiq; id est, propter conjugem ac domum ejus custodiendam juxta suam qualitatem dandum vel accipiendum sit. Videlicet Episcopo panes XI. Frisingæ III. de potu modii tres, porcellus unus, pulli III. ova XV. Annona ad caballos modii quatuor. Abbati, Comiti atq; ministeriali nostro unicuiq; dentur quotidie panes triginta, frisingæ duæ, de potu modii duo, porcellus unus, pulli tres, ova XV. annona ad caballos modii tres. Vassallo nostro panes X. & VII. frisinga una, porcellus unus, de potu modius unus, pulli duo, ova X. annona ad caballos modii duo.* Aliam formulam vide apud Marculfum *lib. 1. c. XI.* De tractoriis, quæ Romanis in usu, vide Codicem utrumque juris *sit. de tractoriis & statoris, & in tit. Cod. Justin. Cujacium τὴν πύου.* Caterum in hoc capitulo

*Formula tractoriarum.*

*Tractoria Imperator. Conjectum quid.*

*De sumtib; in Missos faciendis.*

*De tractoriis Romanis. Capituli nostri bygra-pothesis.*

graviter stomachatur Innocentius & severè interpellat Legatum suum à latere, quod motu proprio ausus fuisset Trojanum Episcopum de Trojanâ Ecclesia ad Messanam metropolim transferre, & Ecclesiam Panormitanam subicere Messanæ, concessio illi jure primatus. Non enim hoc potest Legatus à latere sine Episcopali mandato sedis Apostolicæ. Est enim de reservatis. *can. mutationes. can. Episcopus. caus. 7. q. 1.*

## CAP. XVIII.

## Ad cap. V. &amp; VI. de officio Legati.

## S U M M A R I A.

1. Canonici Eccles. Tranensis eligunt Archiepisc.
2. Oppidum Trinum.
3. Episcopus Prænestinus.
4. Ecclesia S. Trudonis.
5. Eucherius Aurelian. episcopus ubi sepultus.

Canonici  
Eccles. Tra-  
nens. eli-  
gunt Ar-  
chiepisc.  
Trinum,  
urbs.

**C**anonici Tranensis Ecclesiæ elegerunt in Archiepiscopum Abbatem Cassinensis. Fratrem. Ita enim omnino legendum esse textus confirmat, etsi aliter videtur Alteserræ & Correctoribus Gregorianis. Verba textus: *Literas quoque suas nobis pro fratre dicti Cas. Abbatis deprecatorias destinavit: Trinum, Trani, urbs Archiepiscopalis Apuliæ Peucetiæ maritima. Vide Cluverium Italiæ antiquæ lib. 4. c. XI. pag. 1211. Portuensis Episcopus, tum Legatus in illis partibus electionem examinavit.*

Episcopus  
Prænesting.  
Ecclesia S.  
Trudonis.

In c. 6. à Prænestino Episcopo, qui est unus è sex Cardinalibus Episcopis Romano Pontifici immediatè subjectis; Onuph. Panv. *de Episcop. Titulis & Diaconis Cardinalium.* Ecclesia S. Trudonis collata est R. Canonico Metensi. Istud Trudonis monasterium est in Hasbaniâ tractu Leodiensis diœcesis, Benedictinæ familiæ, vulgo S. Tron, ibi quiescit S. Trudo, cujus festum agitur 23. Novembris. Sed & Eucherius Aurelianensis Episcopus, ut habetur in *can. quia juxta. 59. caus. 16. q. 1.* Prænestinus itaque Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus in Galliâ contulit Ecclesiam S. Tru-

Eucherius  
Aurelian.  
episcopus  
ubi sepultus.

S. Trudonis R. Canonico Metensi Metensis ergo Archidiaconus, ad quem illius Ecclesiæ præsentatio pertinebat, Canonicum illum super eadem Ecclesia turbabat. Re cognitâ Pontifex mandavit, ut Archidiaconus desineret molestiam inferre, hac ratione, quod plus juris habeat in concessione prælatus, quàm in præsentatione patronus.

CAP. XIX.  
Ad cap. VII. de officio Legati.

S U M M A R I A.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Petrus Cardinalis Legatus Pontificis sententiam pronunciat contra Philippum August. Francia. | 5. Repudiatur à Philippo Rege.             |
| 2. Philippus Augustus ducit uxorem Regis Daniae sororem.  | 6. Sententia à Celestino Papa rescinditur. |
| 3. Sponsa in Ambianis appulit.  | 7. Idem mandat Innocentius III.            |
| 4. Coronatur ab Archiepiscopo Rhem.   | 8. Rex & regnum in interdictum incurrunt.  |
|   | 9. Rex ab interdicto appellat.             |

**H**oc valde celebre est rescriptum ad Philippum Augustum, Regem Gallia. Res gesta hæc est: Petrus Cardinalis, Legatus sedis Apostolicæ transiens Burgundiam transscenderat montem Apenninum, sententiamque contra Philippum Augustum, Regem Francorum, quam in Franciâ ex præcepto Papæ ferre debuerat, ibi dixit, Regemque cum regno sacris interdixit. Causa fuit divortium cum Ingelburgâ, Danicâ, Canuti Regis Daniae sorore, & superinductio Agnetæ Ducis Moraviae filiâ. Et ut plenius narremus, inter Philippum Augustum, Regem Francorum & Canutum VI. Regem Danorum convenerat, ut Ingelburgam, quam Botildam vocat Rogerius ab Hoveden *annal. par. post. p. m. 800.* Gelbergam, Paulus Aemilius, Johannes Tilius Isenbergam, sororem Canuti, Canutus Regi Francia nuptum daret. Misso Stephano Noviomensi Episcopo ea adducta est, præstitis de connubio consummando idoneis cautionibus

*Petrus Cardinalis Legatus Pontificis sententiam pronunciat contra Philippum August. Franc.*

*Philip. August. ducit uxorem Regem Daniae sororem.*

&

*Sponsa in  
Ambianis  
appulit.*

*Coronatur  
ab Archiep.  
Rhem.*

*Repudiatur  
à Philippo  
Rege.*

*Sententia à  
Cœlestino  
Papa re-  
scinditur.*

*Idem man-  
dat Inno-  
cent. III.  
Rex & re-  
gnum in in-  
terdictum  
incurrunt.*

*Rex ab in-  
terdicto ap-  
pellat.*

& jurejurando. Hæc Petro Bacchideo Episcopo cum idoneo comitatu commendata perque mare transvecta in Ambianis appulit, ubi Rex Franciæ eam jam tum præstolans, dilationisque impatiens, eodem die sibi desponsavit. Et congregatis Principibus, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, sequenti die per manum Guilielmi Rhemensis Archiepiscopi eam solenniter secum coronari curavit: Sed inter ipsa coronationis solennia ad aspectum illius cœpit vehementer exhorrescere, tremere ac pallere, ut vix sustineret finem solennitatis inceptæ, ut gestis Innocentii habetur. Sed Gvilielmus Neubrigensis *rer. angl. lib. 4. c. 24.* Regem à primâ nocte eam abjecisse, sive propter fœtidum oris spiritum, sive latentem aliam fœditatem, sive quod virginem non invenisset. Rigordus verò, qui Philippi historicus fuit, maleficorum artibus magicis id effectum fuisse scribit. Convocatis ergo cum Rhemensi Archiepiscopo, tunc Apostolicæ sedis Legato aliis quibusdam Episcopis, ob sanguinis propinquitatem accusatum est coram eis matrimonium, Reginâ quid ageretur prorsus ut & linguæ Gallicæ ignarâ. Sententia ergo divortii pronunciata est. Fama hujus rei ad Cœlestinum Papam delatâ, is sententiam divortii rescidit, matrimonioque cum aliâ Regem interdixit. Cœlestino autem mortuo Innocentius III. jussit, ut repudio Pellici superinductæ misso Rex Ingeburgam reciperet. Et quia recusaverat Rex, regnum Pontifex interdicto jussit subdicere. Id Rex præsentiens, per nuncios ab hac sententiâ interdicti appellat, quod extra fines regni prolata esset. Pontifex regessit, quod licet à Legato lata esset extra fines regni Francorum, non tamen extra fines suæ legationis, quia legatus vices suas gerebat non modo in regno Francorum, sed & in Viennensi, Lugdunensi & Bisuntiensis provinciis.

ECLOGA

## ECLOGA IX.

## CAPUT I.

## Ad tit. Cap. III. &amp; IX. de officio Judicis ordinarii.

## S U M M A R I A.

1. Rubrica restitutio.

2. Judices ordinarii.

3. Capit. 3. h. t.

4. Capit. 7.

5. Novempopulania.

6. Caput 9. non ad Turon. sed Tyrensem Archiepisc. rescribitur.

**R**ubrica hujus tituli in primâ collectione ita habet: De officio & potestate Prælati & judicis ordinarii. Judices ordinarii dicuntur, qui in ordinem & numerum judicum sunt assumpti, & per adeptionem dignitatis suæ fiunt competentes judices. Vel, ut Alciatus, qui propriam Jurisdictionem habent à lege sibi delatam circa universitatem negociorum.

In cap. 3. vers. Quapropter &c. Ita habetur in primâ collectione: *Quapropter d. v. per A. f. m. qua.* (discretionem vestram per Apostolica scripta mandamus quatenus) *si quando dilectus filius noster Lan. Plebanus S. Pancratii de Lucar.*

In cap. 7. Innocentius III. rescribit Auxitano Archiepiscopo. Is est metropolitanus Aquitanie III. seu Novempopulanie, Ammianus lib. 15. *Novempopulos Ausci commendant & Vasates.* Postea Vasconia curta dicta est, ad differentiam Aquitanie II. quæ & ipsa Vasconia dici cœpit. Auscii, Ausci Cæsari & Plinio, vulgo Aux, inde Auscensis & Auxitanus. Jubeat autem Papa coercere monachos ejus provincie, qui claustrum abhorrentes per curias Principum discurrebant.

In cap. IX. scribitur Turonensi Archiepiscopo, si Raymundo credimus. Sed in primâ compilatione & apud Innocentium ipsum libro primo Regesti habetur Tyrensi. Quæ lectio vera est. Conqueritur enim Archiepiscopus adversus Patriarcham Hierosolymitanum, quod is compelleret subditos Tyrensis coram se respondere, præterito suo Archiepiscopo. Qualis querela Turonensi



nensi minimè convenit. Quid enim ei cum Hierosolymitano? Archiepiscopus Tyrius olim primum locum obtinuit inter Metropolitanos Antiocheno Patriarchæ subditos: Sed ex quo Syria à Latinis Saracenis ademta fuerat, Patriarchatui Hierosolymitano salvo gradus honore accessit, ut habet Guilielmus Tyrius *lib. 14. cap. 12.*

## CAP. II.

## Ad cap. X. de officio Jud. ord.

## S U M M A R I A.

- |   |                              |
|---|------------------------------|
| 1. Status questionis.                     | 4. Fine seculi XII. ademtum. |
| 2. Ratio dubitandi.                       | 5. Justin. Novella.          |
| 3. Clerus & populus intererant electioni. | 6. Ratio decidendi.          |
|   | 7. Id illustratur exemplis.  |

**I**nterrogabatur Innocentius, utrum posset consecrationem sui suffraganei alteri committere. Quod affirmat. Ratio dubitandi: Quia Metropolitanus est confirmare, ergo & consecrare. Confirmatio electionis ad Metropolitanum spectat & Episcopos comprovinciales saltem tres. *can. 4. synodi Nicæna. can. Episcopi. dist. 64. can. Episcopus. dist. 65.* reliquis per literas consentientibus. Clerum & populum suffragatos fuisse, & Episcopos eodem tempore iudicium tulisse, testatur Cyprianus de Sabino Episcopo scribens *lib. 1. epist. 4.* Post concilium Nicenum clerus & populus intererat electionibus. In occidente diutius jus electionum mansit clero & populo. Fine demum seculi XII. paulatim horum jus ad Canonicos migravit Ecclesiarum cathedralium, quod confirmarunt plurimæ Pontificum constitutiones. Justinianus Imperator, formam electionum *Nov. 123. & 137.* ita præscribit, ut clerici & cives honorati trium personarum electionis decretum scripto facere teneantur & ad Metropolitanum mittere, ut unus è tribus eligatur. Ratio decidendi, quod si Metropolitanus causâ aliquâ fonticâ impediatur, nõ impeditur per canones, quo minus possit id mandare suffraganeo. *can. Comprovinciales.*

*can. Extra. dist. 64.* Exemplum occurrit in Faustiano Aquensi Episcopo, quem ordinabant Palladius Santonensis & Orestes Vatesensis mandato Bertrami Burdegalensis Episcopi, qui lippitudine eo tempore laborabat. *Gregor. Turon. lib. 7. c. 31.* Dummodo mandararius sit catholicus & habeat gratiam sedis apostolicæ. *cap. quia diligentia. §. de elect. c. fraternitatis. de schismat.* Hinc Moses monachus designatus Saracenorum Episcopus consecrationem repudiavit accipere à Lucio Pseudoepiscopo Alexandrino. *Socrat. lib. 4. c. 29. Theodor. lib. 4. c. 21.* Et Antiochus Episcopi Johannis Pergensis consecrationem respuit. *Theodorit. lib. 4. c. 25. Alteserra bit.*

## CAP. III.

## Ad capitul. XIV. de offic. ordinarii.

## S U M M A R I A.

- |  |                        |
|--|------------------------|
| 1. Coadjutorum ordinatio quæ occasione in Syria frequentata? | 5. Morbus, cujus.      |
| 2. Nempe ob imperitiam linguæ Græcæ. Episc. Lat.             | 6. Exemplum.           |
| 3. Alteserra notatus.  | 7. Senium.             |
| 4. Cause quibus Coadjutores admittuntur, ut                  | 8. Pueritia.           |
|  | 9. Imperitia.          |
|  | 10. Dilapidatio.       |
|  | 11. Incurfus hostilis. |

**O**ccupata Syria & urbe CPoli captâ à Francis & Venetis Coadjutorum pulsus Græcis Episcopi Latini passim his terris locisque ordinatio impositi sunt, qui cum Græcè nescirent, permissum fuit, quæ occasio- ut Coadjutores & Vicarios Hellenismi peritos sibi ad- ne in Syria- frequenter? sciscerent, ne omnia per interpretes agere cogerentur. Sic Auxen- tius Cappadox à Constantio factus est Episcopus Mediolani in lo- Nempe ob cum Dionysii ob imperitiam linguæ Latinæ, ut notat ex Athanasio imperitiam epistolâ ad solitarios Alteserra. Quod verò de Brunone Episco- linguæ Gra- po Aldeburgensi addit idem Alteserra, id minimè quadrat. Non cæ. Episc. Lat. enim Bruno coadjutor factus fuit, Geroldi Episcopi: Sed Sacer- Alteserra dos: nec propter linguæ Slavicæ imperitiam ibi positus est, sed notatus.

coloniam Saxonum, cum ipse è Saxoniam oriundus esset, impetra-  
 vit eo deduci, ut haberet solatium de populo, cujus nosset linguam  
 & consuetudinem, ut habet Helmoldus *chronico Slavor. lib. 1. c.*  
*84.* utut ergo dubitatum olim fuerit, utrum viventi Episcopo  
 Coadjutor dari possit, vetante canone 8. Nicenæ synodi & concilio  
 generali Lateranensi, ex quo capitulum nostrum desumptum est,  
 ne in unâ eademque civitate duo Episcopi existant: cum mon-  
 stro simile sit, ut una Ecclesia diversos habeat Pontifices, tanquam  
 unum corpus diversa capita: Tamen certas ob causas Coadjuto-  
 res nonnunquam sunt admissi, uti sunt adversa valetudo, ætas se-  
 nilis, impubertas, imperitia, prodigalitas. De morbo est *can.*  
*scripsit. can. quamvis. caus. 7. q. 1. cap. de Rectoribus. c. Ex parte.*  
*cap. ult. X. de cler. agr. cap. Pastoralis. eod. tit. in 6.* Ita Tetrico  
 Lingonensi Episcopo, ob ægritudinem Mundericus assentiente  
 Principe Coadjutor cum successionis spe datus, ita, ut superstite  
 Tetrico is Tornodorense castrum, quasi propriam dioccesin, ut Ar-  
 chipresbyter, regeret. *Gregor. Turon. lib. 5. c. 5.* Sic Mauritius Ca-  
 durcensis Episcopus adjutorem habuit Ursicinum, & Domnolus  
 Cenomanensis Theodulphum. *Gregor. Turon. lib. 5. c. 42. lib. 6.*  
*c. 9.* Rimberto Bremensi Archiepiscopo Adalgarius ex Monacho  
 Corbejensi coadjutor datus. *Adam. Bremensis lib. 1. c. 39.* Ob se-  
 nectutem Narcisso Hierosolymitano coadjutor datus est Alexan-  
 der. Et Bonifacio Episcopo Moguntino id Zacharias Pontifex  
 permisit. *can. Petriisti. c. 7. q. 1.* Episcopo puero, ut Hugoni, filio  
 Heriberti Veromanduorum Comitis Odalricus Aquensis Episco-  
 pus Coadjutor datus. *Frodoard. chron. ad annum 728. & lib. 4. hist.*  
*Remens. c. 18. 20. 22.* Cum Episcopus Conventrensis Ecclesias  
 quasdam concessisset impuberibus, Alexander III. eos ex dispen-  
 satione non removit: Sed interim Ecclesiarum custodiam ido-  
 neis clericis commendavit. *cap. Ex ratione 2. X. de etate & qualit.*  
*præf. Ob imperitiam dari docet can. Quia frater. caus. 7. q. 1.*  
*can. 18. c. Episcopum. Distinct. 73.* Sic ob imperitiam linguæ ver-  
 naculæ Valerius Hipponensis Episcopus Latinæ linguæ minus  
 peritus coadjutorem adscivit Augustinum, ut est in vitâ ejus *c. 9.*  
 De dilapidatore diximus ad *cap. Venerabili. X. de offic. deleg.* De  
 causâ hostilis incursum est *capit. XV. h. t.*

*Causæ qui-  
 bus Coadju-  
 tores ad-  
 mittuntur,  
 ut  
 Morbus,  
 Exemplum.*

*Senium.*

*Pueritia.*

*Imperitia.*

*Dilapidatio  
 Incursum  
 hostilis.*

CAP.

## CAP. IV.

## Ad cap. XVI. De offic. Jud. ord.

## S U M M A R I A.

- |                                   |                              |
|-----------------------------------|------------------------------|
| 1. Monasterium montis Sublasi.    | 7. Cathedraticum.            |
| 2. Corrigitur inscriptio.         | 8. Solidi Lucenses.          |
| 3. Jura Episcopalia quæ dicantur? | 9. Decimatio.                |
| 4. Pœnitentia.                    | 10. Quarta mortuorum.        |
| 5. Synodus.                       | 11. Procuratio Episcoporum.  |
| 6. Synodaticum.                   | 12. Oratoria in Grungis.     |
|                                   | 13. Monumenta Dobrilucensia. |

**I**N capitulo XVI. fit mentio monasterii S. Benedicti montis *Monasteriū*  
Sublasi. Lege Sublasi, ut ex Provinciali MSto Fuxensi refert *montis*  
Cironius. Est in Umbriâ, sub Episcopo Assisensi, in ditioe *Sublasi.*  
ac provinciâ Romanâ. Corrigenda itaque inscriptio & legen- *Corrigitur*  
dum: Assisensi, pro, Assisnatin. Jubetur hoc capitulo Episco- *inscriptio.*  
pus contentus esse juribus Episcopalibus. Inter hæc recensentur, *Jura Episco-*  
canonica obedientia, subjectio, reverentia, institutio, destitutio, *palia quæ*  
correctio, reformatio, censura Ecclesiastica, jurisdictio causarum *dicantur?*  
ad forum Ecclesiæ spectantium, pœnitentia, sacramentorum colla-  
tio, synodus & synodaticum seu cathedratici nomine duo solidi,  
quarta decimationum, ac mortuorum visitatio annua.

Quod attinet pœnitentiam, eam indicere publicè proprium *Pœnitentia.*  
munus est Episcopi & pœnitentes reconciliare & absolvere. *Con-*  
*cil. Carthag. II. can. 3.* Ut chrisma vel reconciliatio pœnitentium  
nec non & puellarum consecratio ab Episcopis non fiat. Conci-  
lium Agathense can. 44. Benedictionem quoque super plebem,  
in Ecclesiâ fundere, aut pœnitentem in Ecclesiâ benedicere Pres-  
bytero non licebit.

Quod attinet synodum, moris antiqui est Episcopum quot- *Synodus.*  
annis diœcesanam synodum cogere, & presbyteros rationem  
reddituros ad eam vocare. *can. Episcopus can. singulis annis. dist. 18.*  
*can. Quando. distinct. 38. can. Episcopus. caus. 35. q. 6. c. Sicut olim.*  
*de Accus.* Conveniebant non modo Plebani: Sed & Abbates diœ-

**Synodaticū.** cesani. *d. can. Episcopus. d. can. singulis annis. c. Quod super his. de major. & obed.* Convenientibus ita Presbyteris annua pensio indicebatur ab Episcopo, quam Synodum, sed & synodaticum appellabant. Ivo Carnotensis *epist. 286. Dedimus & Ecclesiam B. Stephani, & omnia ad eam pertinentia, altare scilicet de Morentiaco, cum parte synodi ad altare pertinentis, nec non & Ecclesiam de Mondonis Villâ liberam à Synodo & Circadâ.* Innocentius III. *lib. 2. Epist. 182. Ecclesiam S. Petri de calvo monte, cum tribus capellis sibi adjacentibus, Ecclesiam de Sergiaco, quæ nec synodum, nec circadam persolvunt.* Dicebatur etiam Paschalis præstatio *c. 15. in prima collect. de Simoniâ,* eo quod synodus post Pascha solebat convocari.

**Cathedraticum.**

Aliud pensionis genus est cathedraticum, quod annuatim Episcopo persolvitur pro honore cathedræ, cujus summa fuit duorum solidorum, ex constitutione Pelagii, & concilii Braccorenensis *II. can. II. can. placuit. caus. 10. q. 1. & can. ult. ead. caus. q. 3.* Dicit Honorius: Cathedratici nomine duo solidi. Sed quales

**Solidi Lucenses.**

*solidi?* compilatio V. ita exprimit: *Duos solidos Lucensis moneta.* Monetam æream fuisse usualem censet Marquardus Freherus. *De his Vide cap. 20. Infra de censibus.* Solidi fuerunt vel Romani, vel Francici. Ad similitudinem solidi aurei, qui sub Constantini M. successoribus duodecim milliariensibus æstimabatur, percusserunt Franci argenteum, quem duodecim denariis æstimabant. Vingt solidi faciebant libram argenti, ut Romani sexaginta milliariensis. Solidus ergo Francicus erat milliariensium trium. Gronovius *de festiis lib. 3. c. 6.* Confer Gassendum *in vitâ Peiresc. p. m. 73.* Aliter accipitur cathedraticum, nempe non tam pro eo, quod Episcopo præstatur, quàm quod ipse Episcopus pro suâ ordinatione præstat, de quo supra *Eclogâ VI. c. 14.*

**Decimatio.**

Ait Honorius, Episcopo deberi quartam decimationum: Deponebantur olim decimæ apud Episcopum, & certis partibus dividebantur, quarum una Episcopo cedebat, quæ vel tertia vel quarta erat, pro more regionum. Ubi quartæ fiebant, una cedebat Episcopo, altera clero, tertia fabricæ, quarta pauperibus. *can. Vobis. can. Vulturana. can. Concesso. can. Quatuor. can. de redditibus.*

*bus. can. cognovimus. can. mos est. caus. 12. q. 2. can. ad hoc. caus. 16. q. 4.* Et vel singulis annis pendebatur, vel quarto quoque anno quartæ quatuor annorum solidæ. *Concil. Aurelianense. l. can. 17.* Decimæ secundum quosdam singulis annis tertia pars, aut in tertio tota: Sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto anno totam Episcopi recipiant.

Quarta mortuorum debetur Episcopo, id est, legatorum, *Quarta mortuorum.* priorum *c. Requisivisti. de testament. quàm quartam testamentorum vocat Innocentius III. lib. 2. Regesti. epist. 429.*

De procuratione pro visitationibus supra diximus *Ecloga Ecclesia & VII. cap. 4.* Post verba: *Procuracionibus onerentur,* additur in *monasteria* quintâ compilatione: *Et Ecclesiam S. Pauli de Assisâ à procuracionis onere penitus relevamus.* Tenebantur ergo Ecclesiæ & monasteria procurare Episcopum, nisi speciali privilegio sedis apostolicæ fuerint exempta. *c. 1. & ult. de Cens. in 6.* Hoc jure cum Eustachius Londinensis Episcopus procuracionem visitationis nomine exigeret ab Abbate Westmonasteriensi, provocatum est ad Pontificem, auctore Matth. Paris anno 1221. Confer capitulum. *Cum instantiâ. X. de cens. cap. Accedentes. de prescript. c. Constitutus. de relig. dom.* Procuracionis etiam ab onere immunia sunt oratoria, *Episcop.*

quæ habentur in grangiis monachorum. *cap. ult. X. de cens. Grangia est vocabulum monasticum, significans villam sive prædium, Oratoria in Grangiis.*

vel horreum. Franco-gallis Grange. Abbas Urspergensis: *Otto Palatinus interfectus Philippi Imp. ab Henrico Calatino obruncatur in quadam Grangiâ, non procul Ratispona.* Sic in monumentis Vallis Mariæ prope Helmeftadium; Grangia Mammendorp, *Monumenta cœnobii Dobrilucensis.*

grangia Esquenrode, Grangia Hackensted. In libro documentorum cœnobii Dobrilucensis, quod penes me est, manuscriptum est traditio Ottonis cujusdam, militis de Ileburgo, ubi ita: *Venerabili Dn. Johanni Abbati, totiq; conventui fratrum ordinis Cisterciensis in Dobrilug villam nostram Frederichsdorf tradidimus sub hac formâ, videlicet, ut ipsa villa redigeretur in Grangiam, quod*

translator in vernaculam ita vertit: *Haben dem erbaren Herrn/ Herrn Johann dem Apte und der Samnung der Mönche des Grauin Ordens zu Dobriluge gegeben unser Dorff Friedrichsdorff*

Dorff in solcher Wiese / daß man das Dorff mache zu einen Vor-  
werke 2c.

Denique ait Honorius: *Non amplius ab eis exigas, præter moderatum auxilium, quod juxta formam Lateranensis concilii cum charitate postulandum.* Nimirum ex concilio Lateranensi sub Innocentio III. habito constat, præter curationem peti posse auxilium, quod charitativum subsidium appellatur. *cap. Cum Apostolus. §. prohibemus. de cens. Extrava. Vas electionis. Eod. tit. Inter communes. Clemen. I. de Excess. Pralat.* Quia comiter peti debet, non cum judiciariâ invectione, ut ait *can. XIV. Conc. Cabillon. 2. can. Cavendum, c. X. q. 1.* id est, captis vadiis seu pignoribus.

### CAP. V.

#### Ad cap. XVII. XVIII. de off. Jud. Ordin.

#### S U M M A R I A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. <i>Monaster. S. Remigii à quo adificatum.</i> | 5. <i>Civitas Trecorensis.</i>            |
| 2. <i>Summa capituli.</i>                        | 6. <i>Abbas Rothomensis.</i>              |
| 3. <i>Caput 18. ad quem rescriptum.</i>          | 7. <i>Abbatia S. Salvatoris.</i>          |
| 4. <i>Episcopus Briocensis.</i>                  | 8. <i>Populi Rhedones, Rennes &amp;c.</i> |

*Monaster. S. Remigii à quo adificatum.*

*Summa capituli.*

*Capit. 18. ad quem rescriptum. Episc. Briocensis.*

**M**onasterium S. Remigii in civitate Remensi insigne à Clotilde uxore Clodovei fundatum, & D. Petro, inde B. Remigio dicatum est. Summa decretalis est: *Remensi Archiepiscopo firmiter inhihet Pontifex, ut nullos de cætero seculares in monasterii capitulum, visitationis tempore introducat, nisi duos vel tres de canonicis Ecclesiæ suæ, in decenti habitu, aliis, quos expedire viderit Religiosis adjunctis.* In cap. XVIII. si Raymundum sequaris, rescribitur Episcopo Bajocensi, & archidiacono Rothomagensi; Sed fallit nos Raymundus. Rescribit Honorius Episcopo Briocensi & Abbati de Sagenio & Archidiacono Recomensi: Episcopus Briocensis, *Saint. Brieu.* urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Turonensi, in Britannia minore, sic dicta à nomine Apostoli sui S. Brioci. *Archi-*

chidiaconatus Recomenſis dubium an in Episcopatu Briocen- *Episc. Brioc.*  
 ſi, an Tricorienſi, vel Trecorenſi. Civitas Trecorenſis, Triguier, *Civitas*  
 Lantriguier, urbs Episcopalis Britanniā Aremoricā ſub Archie- *Trecoren-*  
 piſcopatu Turonenſi. Capituli textus ita reſtituendus: *Dilectus*  
*ſilius Abbas monaſterii Rothomagenſis.* Imò Rothonenſis, ut ha- *Abbas Ro-*  
 bet quinta compilatio, ubi additur; *Venet. diaceſeos.* Rectè. *thonenſis.*  
 Innuitur Abbatia S. Salvatoris de Rothono, vulgò, Redon, ordi- *Abbatia S.*  
 nis S. Benedicti, diocceſis Venetenſis. Rhedones, Renes vel Ren- *Salvatoris.*  
 nes, Caſari & Plinio populi Galliā Celticā, in Aremoricis, Bri- *Populi Rbe-*  
 tanniā minoris præcipui, & conventus juridicus regionis. Urbi *dones, Ren-*  
 nomen, Condate Redonum Ptolomæo, ad Vidanam fluvium. *nes.*  
 Pergitur textu, *expoſuit comm nobis, quod tertia pars emenda-*  
*rum, quas homines quinque parochiarum,* quæ ſui conventus  
 ſunt uſibus deputatæ, *p. f. e. f. c. a. f. s. m. a. a.* & quod inter ipſos  
 homines ortâ Eccleſiaſticā quæſtione citatio ad eundem, ſed exa-  
 minatio & decifio quæſtionis ad venerabilem fratrem noſtrum  
 Venetenſem Episcopum & ipſum Abbatem pertinent in commu-  
 ni. *Cumque felicitis memoria Innocentius Papa prædeceſſor noſter*  
*conquerente ipſo Abbate, quod præfatus Episcopus ſuper hoc in-*  
*quietebat eundem Vobis de aſſenſu partium dederit in mandatis,*  
*ut vocatis partibus & auditis hinc inde propoſitis c. r. a. i. f. i. d. E.*  
*p. v. d. i. o. c. f. q. f. q. E. quoad l. d. p. e. p. e. & quæ ſequuntur.*

## CAP. VI.

## Ad titulum: De officio Judicis.

## S U M M A R I A.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Honorius reſcribit Salernitano<br>Archiepif.       | 5. Monaſterium Cavense, Cava<br>civitas. Thome Aquinatis<br>obitus. |
| 2. Salernum. Golfo de Saler-<br>no. Abbatia Leonardi. | 6. Monaſterium S. Petri de Amal-<br>phia, urbs Amalfi.              |
| 3. Cauſa ſtatus, inter quos.                          | 7. Pyxis nautica.   |
| 4. Foffa nova, Abbatia.                               |   |



*Honorius  
rescribit.  
Salernit.  
Archiepis.  
Salernum.  
Golfo di  
Salerno.  
Abbatia S.  
Leonardi.  
Questio  
hujus capi-  
tuli.  
Fosse novæ  
Abbatia.  
Thome A-  
quinatis  
obitus.  
Monasteriū  
Cavense.  
Monasteriū  
S. Petri de  
Amalphia.  
Pixis nau-  
tica.*

74

*Amenitatum Juris Canonici*

**I**N capitulo primo rescribit Honorius Archiepiscopo Salernitano & Abbati S. Leonardi & S. Benedicti. Sic enim legendum. Salernum, Archiepiscopatus regni Neapolitani, & Principatus citerioris caput, in orâ maris Tyrreni, à Lothario primo fundatus & datus Siconolpho in divisione Ducatus Beneventani, anno 831. Inde sinus Pæstanus ei adjacens vocatur Golfo di Salerno. Abbatia S. Leonardi à Friderico II. Imperatore fuit fundata, & data ordini militum B. Mariæ, Agebatur causa inter Abbatem & conventum Monasterii Canen. ut legitur apud Raymundum. Fossa nova erat Abbatia ordinis Cisterciensis, in quâ centum monachi aiebantur, & ubi Divus Thomas Aquinas decessit, dum veniret ad concilium Lugdunense sub Gregorio IX. Est in Latio, quinquaginta millibus ab urbe Româ distans. Monasterium Canen. vel Canon. Salontanæ diœceseos, vel ut correctores Gregoriani volunt, Sauvense, mende sunt. Legendum, Cavense. Cava, civitas Episcopalis in Campania, unde denominatum est cœnobium vicinum, dictum S. Trinitatis monasterium, ordinis S. Benedicti, fundatum à S. Alterio, primo Abbate anno 1050. ut habet Cironius. Lis autem erat de possessionibus monasterii S. Petri de Amalphiâ. Amalphis, Malfi & Amalphi urbs Archiepiscopalis in principatu citeriori regni Neapolitani, Ducatus titulo honorata Neapolitano, de quâ Blondus *lib. 15. hist.* Inventus ibi est pyxidis nauticæ usus per Johannem Goiam vel, ut alii, Flavium Gioiam Amalphitanum.

C A P. VII.

Ad tit. XXXIII. De majoritate & obedientiâ.

S U M M A R I A.

1. *Salmasius laudatur.*
2. *Major idem qui senior.*
3. *Major domus.*
4. *Majores Palatii.*
5. *Major monasterii.*
6. *Majoritas.*

Benè

**B**ENÈ Cl. Salmasius *cap. 1. de primatu Papæ*, Major idem qui *Salmasius* senior. Hesychius: *μεγίστων, γέγων*. Sic in laudatur. familiâ qui servus atatis vel fidei merito cæteris antistabat, *Major idem* ac familiam gubernabat, *Major domus* appellatus. *Donatus in Phormione* de his servis, *Majoribus domus*: Sic *columella Major domus* apud veteres *servi dicti*; *Majores domus*. Inde & *Majores Palatii* mûs. sub primis Gallix regibus, quibus totius regni procuratio & quasi *Majores* villicatio credita. Hinc & *Major monasterii* apud Dionysium *Palatii*. exiguum. *Majores* vocat Tertullianus Ecclesiæ antistites libro *Major* *de Baptismo*. Hanc formam secuti Apostoli plebi Christianæ *monasterii*. moderandæ seniores imposuerunt, quibus ad ministerium adjuncti juniores, *Μένονοι*. Hæc *Salmasius*. A Majoribus istis, gubernatoribus reliquorum eusum est vocabulum *majoritas*, & verbum, *majorari*, quoties quis ad altiorem gradum adscendebat, ut & *minorari*, si quis à bove ad asinos. Ita Archiepiscopus Apamien- *Majoritas*. sis translatus in Tripolitanum Episcopatum, novo promotionis genere, non promotus, sed minoratus dicitur ab Innocentio III. *in epist. 59. & 117. lib. 1.*

## C A P. VIII.

## Ad cap. 1. de major. &amp; obed.

## S U M M A R I A.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Capitulum unde petitum.                        | 5. Pallio donatur à Gregorio Magno.        |
| 2. Suppletur pluribus locis ex registro Gregorii. |  |
| 3. Augustinus primus Episcopus Anglorum.          | 6. Ecclesia Eboracensis fit Metropolitana. |
| 4. Interrogationes Augustini ad Gregor. Pap.      | 7. Data hujus decretalis variat.           |

**H**OC capitulum est Gregorii ex *Epistola 15. lib. 12.* & refertur *Capitulum* latius in conciliis *c. 1. patris 44.* sub titulo: *De præeminente* *unde peti-* *tiâ Lund. & Eboracensis & de privilegiis generaliter vel tum.* *specialiter indultis, & de eorum abusu & confirmationibus.*

Habetur etiam in historiâ Ecclesiasticâ Bedæ lib. 1. c. 29. Et apud Baronium ad annum Christi 601. n. 23. Initium rescripti hoc est: *Gregorius, Augustino Episcopo Anglorum.* Hic est Augustinus, primus Anglorum Episcopus, quem Gregorius in Angliam, quam primus iste Pontifex ad fidem christianam converterat, misit cum pluribus aliis Monachis, qui gentem hanc converterent. Quod & præstitit feliciter, & de iis, quæ necessaria scitu essent, missis Romam Laurentio Presbytero & Petro monacho, Gregorium interrogavit. Exstant etiamnum hodie interrogationes Augustini hujus, & responsiones Gregorii in operibus Gregorii tam ad decretalem, quæ ita habet: *Cum certum sit pro omnipotente Deo, & cætera, quæ Gregoriani exhibent, quamvis non integra:* Ubi enim illi desinunt, sequuntur hæc: *Et quia nova Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem domino largiente, & te laborante perducta est, usum tibi pallii ad sola missarum solennia agenda concedimus, ita ut per loca singula duodecim Episcopos ordines, quæ tua ditioni subjaceant. Quatenus Landoniensis Episcopus civitatis semper in posterum à synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta & apostolica, cui auctore Deo deservio, sede percipiat.* Post hæc verba alia sequuntur ad Eboracensem Ecclesiam pertinentia, quam etiam Metropolitanam constituit & alteros XII. Episcopos ei subjicit, eamque negat Landoniensi subjici oportere, post Augustini mortem.

In verbis, quæ Raymundus retinuit, ita habetur apud Gregorium: *Sit verò inter Lundonia & Eboraca civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio:* Post verba: *fuert ordinatus:* in registro est: *ordinatus. Communi autem consilio & concordia actione, quæcunque erunt pro Christi Zelo agenda, disponat, unanimiter rectè sentiant, & ea, quæ senserint, non sibi met discrepando perficiant.*

In fine addi potest Data, mense Octobri, indictione VII. Pontificatus anno XIV. Apud Bedam aliter habet, nimirum: *Data die decimo Kalend. Juliarum, imperante Domino nostro Mauritio Tiberio piissimo Augusto, anno XIX, post consulatum ejusdem domini anno decimo octavo, in dictione IV.*

CAP.

CAP. IX.  
Ad cap. III. de major. & obed.

## S U M M A R I A.

1. Inscriptio suppletur.

3. Glossa &amp; Doctores notantur.

2. Hypothesis hujus Capituli.

**L**eo Papa auctor hujus decretalis ad quem scripserit, non addunt vulgaria exemplaria. Addendum itaque: *Inscriptio Anastasio suppletur.*  
*Episcopo Thessalonicensi.* Est decretalis ista apud Leonem numero LIV. editionis Ascensianæ. In aliis editionibus epistola 84. Hypothesis hujus decretalis fuerat: Anastasius Episcopus Thessalonicensis citaverat Atticum veteris Epiri Nicopolitanum Antistitem ob negligentiam in officio commissam, qui cum venire tardaret, à Præfecto Prætorio Illyrici impetravit Anastasius, ut eum missis exsecutoribus faceret exhiberi, quem tamen hiemis asperitas & ægritudo excusabant, & expectare censuram Pontificis Anastasius debuisset. *Hypothesis hujus capituli.*  
 Anastasius reticens executionem istam in Atticum factam, tantum pro se allegabat, quod Atticus scripto se obligasset ad obedientiam: Sed Leo & in hoc arguebat Attico injuriam factam, quod cum obedientiam ipso facto exhibuisset, literas tamen obligatorias insuper coactus fuerit dare. *Glossa & Dd. notantur.*  
 Divinatio ergo Glossæ & Doctorum est, putantium de clerico agi, qui administrationem non habeat & quod non debeat exigi scripta obedientiæ obligatio. Omni-  
 no enim Atticum in sua diœcesi administrationem habuisse oportet. Hoc ergo duntaxat Leo reprehendebat, non quod scriptam obedientiæ obligationem exegisset, sed quod Anastasius aliquam obedientiam ab eo exigere planè non debuisset, qui ipso facto obediens fuisset.

K 3

CAP.

## CAP. X.

## Ad capitulum IV. de maj. &amp; obed.

## S U M M A R I A.

- |  |                             |
|--|-----------------------------|
| 1. Capitulum hoc neq; Clementis<br>I. neq; III. est. | 3. Testes ejus assertionis. |
| 2. Non primi.  | 4. Non tertii.              |
|  | 5. Ratio.                   |

Capitulum  
hoc neque  
Clementis I.  
neq; III. est.

Non primi.  
Testes ejus  
asserti.

**C**apitulum IV. tribuitur Clementi III. At libb. veteres simpliciter; Clemens Papa. Est enim hic locus in Epistolis Hypobolimæis Clementis I. ubi ita habetur: *Omnes Principes terræ & cunctos homines eis obedire, & capita sua submittere eorumque adjutores existere præcipiebat.* Scilicet Petrus Apostolus. Similis locus legitur constitutionum lib. 2. c. 11. & apud Ignatium Epistolâ ad Trallianos. Sed hanc Epistolam suppositam Clementi fuisse ab Isidoro Mercatore certum est. Jam olim Comestor *hist. Scholast. in Ant. Apost. c. 101.* ita censuit: *Cum Beda dicat Jacobum 7. anno Neronis mortuum, palam est, non esse authenticum, quod legitur in Epistolâ Clementis, qui juxta tenorem illius Epistola dicit sibi mandatum à Petro, cui successit in Apostolatu, ut post ejus mortem Jacobo epistolas destinaret, ut ab eo instrueretur, sed cum Jacobus Episcopus mortuus sit septimo anno Neronis, & Petrus vixerit usque ad decimum quartum constat hoc nihil esse.* Idem habet & Gobelinus *Cosmodromio etate 6. c. 7.* Idem *Turrecremata, summa de Ecclesia lib. 2. c. 101.* Cusanus *concordiâ catholicâ lib. 3. c. 2.* Baronius *ad A. D. 69. §. 43.* Bellarm. *de script. Eccles.* Quia itaque auctor Epistolam ad Jacobum ante septennium mortuum dirigit, Episcoporum urbis seriem ita intervertit, ut nullum Lino Cletoque, quos sedem vel cum Clemente vel ante Clementem tenuisse fama est, locum reliquum faciat. Ideo forsitan Contius & alii medicinam quærentes his morbis capiti huic præscribere Clementem III. Sed nec sic sanarunt ulcus: Nam auctor iste occidentem tenebrosissimam mundi pattem ridiculè nuncupat, Petrum electionis Domini, Clementem Petri primitias falso

falso vocat, ut demonstrat Blondellus, Itinerarium Petri, scriptum nugis & fabulis refertum, veteris Ecclesiæ cauterio iniustum ab ipso Romanæ inquisitionis consilio libris prohibitis annumeratum, à doctis omnibus rejectum comprobatur. *Non tertii Ratio.*

## CAP. XI.

## Ad cap. V. de major. &amp; obed.

## S U M M A R I A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Capitulum V. quoties repetatur in Decretal.                                   | 4. Utrumq; amittit.                     |
| 2. Hypothesis ejus.  | 5. Secundum canones.                    |
| 3. Conradus, Lubecensem Episcopatum deserit, Hildesensem & Herbipolensem captat. | 6. Fit supplex Pontifici.               |
|  | 7. Denuò postulatur ab Herbipolensibus. |

**E**Legans est hujus capituli argumentum, materia non tantum duarum decretalium postremarum. *x. de transl. Epif. Sed etiam capituli nostri V. & capituli, Illud. V. de Clerico excom. minist. Egimus de eo supra ad c. 3. & 4. de Translat. Epif. Ecloga IV. c. 10.* Sed hoc quoque loco amplius dicendum. Conradus de Ravenspurg, vir nobilis & potens rebusq; agendis prudens & ingeniosus, sub Friderico I. Imperatore & ejus filio, rebus gestis clarissimus, Lubecensis Ecclesiæ Episcopus electus nec consecratus, Episcopatu huic sponte renunciavit, ut Hildesensem obtineret, quo non contentus capitulo inducto ad postulationem, ad Episcopatum Herbipolensem, titulo Ducatus Franconiæ nobilitatum, proprio motu transiit, & sæpius monitus ab Innocentio non obtemperavit, sed in eo Episcopatu & temporalia & spiritualia administravit. Hunc ergo sæpius admonitum secundum canones, Innocentius utrâque Ecclesia privavit, ut secundâ careret, quam avarè & per ambitionem cupiverat, & primâ privaretur, quam per superbiam despexerat. Secundum canones, inquam, privatus est. Qui enim motu proprio ad aliam Ecclesiam transiunt, primò ad primam redire compelluntur. Quod si contumaciter

*Capitulum V, quoties repetatur in Decretal.*

*Hypothesis ejus.*

*Conradus, Lubecensem Episcopatum deserit, Hildesensem & Herbipolensem captat.*

*Utrumque amittit.*

*Secundum canones.*

maciter nihilominus cerviculam jactitent, utrâque spoliantur c. 3. supra de Translat. Epif. c. 23. de Elect. Can. 31. & 32. caus. 7. q. 1. Sed videamus de exitu: Conradus cum propter excommunicationem ab omnibus vitaretur, coram Magdeburgensi Archiepiscopo ac multis Principibus, deinde coram Moguntinensi Archiepiscopo, & aliquibus Principibus jurejurando promisit se mandatis Apostolicis obediturum. Inde accessit ad sedem Pontifici. Apostolicam beneficium absolutionis implorans, misit munera quædam Papæ, vasa argentea magni pretii atque artificii. Cui Papa per honorabilem nuncium remisit cupam auream, majori pretio, quàm Conradi fuerant, ne corruptus esse videretur, Canonicamque ordinationem Herbipolensis Ecclesiæ distulit, donec ipsa hæc Ecclesia Conradum denuo postularret, quo factò Episcopatum recepit. Ita narrant gesta Innocentii.

*Fit supplex Pontifici.*

*Denuò postulatur ab Herbipolensibus.*

## C A P. XII.

### Ad cap. Solitæ. VI. de Major. & Obed.

#### S U M M A R I A.

1. Innocentius increpat Balduinum Imp. CPolitanum.
2. Comparatio Pontificis cum Sole, Imperatoris cum Luna.
3. Explicatur.
4. Barclajus & Petrus de Marca laudantur.

*Innocentius increpat Balduin. Imp. CPolit.*

**S**cribit Pontifex ad Balduinum Imperatorem CPolitanum. Habetur integra hæc epistola in gestis Innocentii III. p. 46. & in compilatione III. Eâ corripit Imperatorem, quod Patriarcham CPolitanum, magnum & honorabile membrum Ecclesiæ, juxta scabellum pedum suorum sedere in sinistra parte siverit, cum alii Reges & Principes Archiepiscopis & Episcopis reverenter assurgant, eisque juxta se venerabilem sedem assignent. Alterum quod notabile in hoc capitulo est, quod Innocentius Pontificem Soli, Imperatorem Lunæ comparans tantam ait inter Pontifices & Reges differentiam cognosci, quan-

*Comparatio Pontificis*

ta est inter Solem & Lunam. Quæ similitudo hæcenus procedit, quemadmodum Luna non minus Luna est, nec minus per se consistit, tunc cum à sole recedit, & mutuatum ab eo lumen variabile amittit, quàm cum ejus radiis pleno orbe atque adspectu illustratur, & neutro casu hæc ab illo aut ille ab hac dependet: Sed ambo institutionis suæ ordinem & modum tenentes Deo mundoque deserviunt: Sic etiam potestas regalis sive politica propriis subnixis viribus per se consistit, & licet magnum quidem lumen ad benè beateque vivendum à spirituali potestate accipiat, tamen ejus neque accessu neque recessu ullâ ex parte in sua essentiâ mutatur, minuitur vel augetur, multoque minus advenienti subjicitur. Nec ad rem facit, si luna respectu luminis, quod à Sole recipit, ei subjici dicatur: Subjicitur enim ei, non quatenus luna est, sed quatenus lucida est. Est Sol igitur Dux & moderator luminum reliquorum, non quatenus sunt corpora, sed quatenus lucent, neque sol iis aliud quàm ipsum lumen auferre potest: Sic spiritualis auctoritas Dux est civilis potestatis, quantum ad spiritualem vim, ut rectè disputat Barclajus vindic. cap. 13. Ferè in hunc sensum etiam P. de Marcâ de conc. Sac. & Imp. lib. 2. c. 1. n. 8.

*cum Sole,  
Imperatoris  
cum lunâ.*

*Explicatur.*

*Barclajus  
&  
P. de Marcâ  
laudantur.*

## C A P. XIII.

## Ad caput VIII. x. de major. &amp; obed.

## S U M M A R I A.

1. *Decretalis ad quem directâ.*
2. *Quâ de re.*
3. *Cyprus ad Patriarcham Antiochenum pertinuit.*
4. *Libertatem usurpatam Justinianus confirmavit.*

**I**nnoentius rescribit CPolitano Patriarchæ, Thomæ Mauroceno, qui captâ CPoli primus è Latinis electus est Patriarcha CPolitanus, ut dixi *Eclogâ 3. c. 5.* Hic duo postulaverat ab Innocentio, alterum, ut Ecclesiæ quædam ipsi subjicerentur, quæ quidem ante captam urbem Patriarchatui huic non paruerant: Alterum, ut obedientia ei præstaretur ab Archiepiscopo & Episcopis

*Decretalis,  
ad quem  
directâ.*

*Quâ de re.*



pis Cypri. Habetur decretalis hæc integrè in gestis Innocentiũ tertii pag. 107. Utrumque Innocentius denegabat. Prius, ob rationem juris, quam habes in textu; Posterius, quia hi ante promotionem Mauroceni fuerant exempti. Quod ita intellige: Cyprus olim ad Antiochenum patriarcham pertinebat; Erat enim pars Syriæ: Sed vi ponti à continente abrupta ad libertatem aspirabat, imminutâ paulatim Patriarchæ Antiocheni auctoritate! Accessit inde & decretum Synodi Ephesinæ, quo inconsulto Patriarchâ ut eligi Metropolitanus à provinciæ Episcopis posset, *can. 8.* statutum est. Porro & auctoritas Justiniani ad tuendam Cypri libertatem suffragata fuit, testante Nicephoro. In hoc statu tempore Innocentii cum esset Cyprus, merito negavit Pontifex ejus occupationem Thomæ Mauroceno, & sedi CPolitanæ, donec causa cognita esset, vocatis Cypri Episcopis, ut ostendit Philippus Berterius Pithanw̄n *diatriba 2. c. 2.*

Cyprus ad  
Patriarchâ  
Antiochenũ  
pertinuit.

Libertatem  
usurpatam  
Justinianus  
confirma-  
vit.

## CAP. XIV.

Ad cap. X. XI. XII. de maj. &amp; ob.

## S U M M A R I A.

- |                                     |                                |
|-------------------------------------|--------------------------------|
| 1. Monasteria S. Victoris & S. Jo-  | 6. Abbatissa Bubring, id est,  |
| hannis unita.                       | Quedlinburg.                   |
| 2. Et quâ ratione.                  | 7. Ejus fundator Henricus I.   |
| 3. Capitulum XI. in compilatione V. | Saxo.                          |
| 4. Capitulum XII.                   | 8. Canonice dicuntur Nonna.    |
| 5. Abbas de Lapide S. Michaelis     | 9. Sunt regulares & seculares. |
| Halberstadiensis diœcesis.          |                                |

Monasteria  
S. Victoris  
& S. Johan-  
nis, unita.  
Et quâ ra-  
tione.

Capit. XI. in  
compilatio-  
ne V.

**D**E monasterio S. Victoris & S. Johannis de Monte apud Bononiam, videatur Sigonius *lib. 2. de Episcopis Bononiensibus*; sunt collegia Canonorum regularium unita, hoc modo, ut monasterium S. Johannis de Monte subjectum esset monasterio S. Victoris, & Priori ejusdem. At cum obedientiam Priori suo Canonici detrectarent, mandavit Pontifex obedire.

In cap. XI. ita habet inscriptio compilationis V. *Dilecto fra-  
tri*

ari Guidoni Presbytero Cardinali & Capitulo Ecclesie S. Laurentii in Damaso. In textu fit mentio manualis obedientie & significatur ministerium vel administratio, ut in cap. cum singula. S. prohibemus. de Praben. in 6. & c. un. Clem. de suppl. negl. Pralat.

Capit. XII. Ita inscribitur Raymundo: *Abbati S. Michaelis Caput. XII. Abradensis diocesis.* Ubi hæc diocesis sita sit, solus Raymundus scilicet, explicarit. Habent ita tamen MSta nostra. Sed compilatio V. verum nomen nobis servavit, nempe, Halberstadiensis dioceseos. Ita habet ibi inscriptio: *Idem Abbati de Lapide S. Michaelis, Halberstad. diocesis.* Fit mentio in chronico Montis sereni pag. 132. & ad annum 1220. p. 134. editionis Maderiana. Sed & in textu pro *Abbatissa in Bubringen.* habetur in *Quedilburg.* Quæ vera lectio. Est famosissimum virginum ordinis D. Benedicti Monasterium, diocesis Halberstadiensis, cujus Abbatissa inter status Imperii numeratur. Condidit illud Henricus I. seu Auceps, in eoque filiam suam Mechtildem collocavit, Abbatissam primam. Monachus Benedictinus quidam, qui fundationes quorundam monasterium collegit, edente Dn. Madero, antiquitatum strenuo & felice indagatore, amico nostro, ita de hac Abbatiâ: Henricus I. Saxo genere, pater Ottonis Magni, qui cepit A. D. 919. ædificavit & fundavit Abbatiam Quettenleburg, regalem utique & in omni Saxoniam præcipuam. Illic Abba Moniales posuit, cui loco contulit decem & octo millia mansa, & thesaurum pergrandem, advocatiam & Monetam, telonium & militiam ubi & se sepeliri mandavit. Hujus uxor Machtildis Regina sanctissima illi adlatus consépulta & posita est in crypta ejusdem monasterii. Hæc ibi. *Canonice sunt Sanctimoniales, ut in capitularibus Caroli calvi, de Canonicarum monasteriis & Sanctimonialium, quæ sub eadem formâ vivere dicuntur. Canonice regulares vocantur. Sunt enim & seculares, in Ecclesia Assindensi, Coloniensis diocesis, ut & in Ecclesia S. Waldrudis montibus, in Hannoniâ, & in Ecclesia S. Gertrudis in Nivigellâ, Nivelle, in Brabantia diocesis Namurcensis.*

*Abbas de Lapide S. Michaelis, Halberstadiensis diocesis. Abbatissa Bubring. id est, Quedilburg.*

*Ejus fundator Henricus I. Saxo.*

*Canonice dicuntur Nonne. Sunt regulares & seculares.*

## CAP. XV.

## Ad Tit. XXXIV. De Treugâ &amp; pace.

## S U M M A R I A.

- |                                    |  |
|------------------------------------|--|
| 1. Treuga vox Germanica.           | 12. A Christianis principibus prohibita. |
| 2. Truſtis Antruſtio.              | 13. Non ſublata tamen.                   |
| 3. Treuga Domini.                  | 14. Diffidatio.                          |
| 4. Lites private armis vindicata.  | 15. Treuga, Trevia Domini.               |
| 5. Campiones qui?                  | 16. Quibus diebus à duellis ceſſandum?   |
| 6. Taciti teſtimonium de Germanis. | 17. Treuga Domini magis extenſa.         |
| 7. Exempla.                        | 18. Burdinarii.                          |
| 8. Treuga tandem ſuſpenſa.         | 19. Paſſus eccleſiaſticæ.                |
| 9. Datis cautionibus.              | 20. Salvatorium, Salvitæ.                |
| 10. Formula cautionis.             |  |
| 11. Feida, Fejde.                  |  |

Treuga vox  
Germanica.

Quâ de Treugâ hoc loco agatur, & quare titulus iſte huc poſitus ſit, nondum ſatis rectè à Gloſſâ & Canoniftis vidî explicatum, qui ſolâ hac obſervatione, uſum hujus tituli abrogatum eſſe, omiſſis antiquitatum indagacionibus, ſe ſatis deſunctos putant, ut ſcitè ait eminentiſſimus P. de Marca, lib. 4. de concord. ſacerd. & Imp. c. 14. De natalibus hujus vocis minimè dubitandum, quin ſit Germanica True/ Trewe/ eſt data fides, inde Truſte/ Truſte/ Truſte/ Drude/ & corruptius Druſta, eine vertraute/ Sponſa, in LL. Salicis, tit. 14. Gêtrutte/ nupta. Ab eadem origine eſt Truſtis & Antruſtio, ein Druſt/ Druſt/ qui fidem Domino ſuo promiſit, in formulis Marculfi: Inde Treuga, fides & ſecuritas ab hoſtili perſecutione promiſſa. Hanc vocem ſuam quoque fecerunt Græci recentiores, quibus vel τρέβα vel τρέβα. Codinus de officio CPol. XIV. §. 12. Meuſf. Gloſſ. Græco-barb. in τρέβα. Vide Diſſertationum mearum Academicarum V. th. 2. Erat alia civilis, conventionalis, publica, inter partes ſolenni bello concertantes pacta, induciæ, Romanis; Alia canonica, quæ

Truſtis, An-  
truſtio.

treuga

*Treuga Domini* dicta est, quâ de hic titulus. Mos erat nimirum, *Treuga Domini.* Germaniæ gentibus, qui Galliam atque Italiam invaserant, lites *mini.* privatas, & inimicitias non legibus per magistratum ponere, sed *Lites pri-* manu ac armis exsequi. A Gothis in Italiam id primum in- *vata armis* vectum suadet epistola Theodorici ad Colossæum Comitem apud *vindicata.* Cassiodorum *lib. 3. Var. 23.* Ab his ad Gundebados morem hunc defluxisse constat ex eorum legibus, quibus res suas ferro repetere licuit, adeo, ut Agobardus Præsul Lugdunensis Ludovicum Pium exhortaretur, ut abrogaret hanc legem, libro adversus Legem Gundobadi. Adeo tamen non obtinuit, quin etiam causæ Ecclesiarum ac monasteriorum dubiæ duello singulari finirentur, datis utrinque *Campionibus,* ut loquebantur, id est, bellatori- *qui.* bus. Idem & apud Francos invaluit qui Lege Salicâ utebantur, ut ex Gregorio Turonensi pluribus locis liquet. Factum inde, ut familiæ nobilissimæ quandoque penitus excinderentur, nullusque litium finis esset, quamdiu aliquis superesset, qui defuncti proximi causam possit suscipere. Nam simul quis unum de familiâ offensum, reliquos omnes adversos habebat, continuo propinquis, affinibus, amicis convolantibus, suam suorumve injuriam per arma vindicaturis. Testis Tacitus, qui de moribus Germanorum, suscipere tam inimicitias seu Patris, seu propinqui, quam amicitias, necesse ait esse. Exempla sunt apud Gregorium Turonensem *lib. 5. c. 5. & 32. lib. 6. c. 17. lib. 8. c. 18. lib. 10. c. 27.* Idque tam diu durabat, donec hujusmodi dissidiis & illatâ cuiusdam *Taciti testi-* cæde reparandâ occisorum cognati reo pacem jurejurando pro- *monium de* mitterent scriptâque cautione darent fidem, se non amplius inju- *Germanis.* riam defuncti ulturos. Formula ejusmodi cautionis seu repro- *Exempla.* missæ securitatis extat apud Marculphum Formular. *lib. 2. c. 18.* Et *Treuga tan-* inter incerti Autoris formulas veteres *c. 23.* quod Lindebrogio est *dem suspen-* 122. Et in formulis Romanis *c. 39.* Graphicè descriptum hunc mo- *sa.* rem exhibet Gregorius Turonensis *lib. 7. c. 47.* Austregisilo per- *Formula* Sicharium interfecto, Sichario à propinquis defuncti variè impe- *cautionis.* tito, donec compositione factâ securitas ei ab adversario daretur. Tunc, inquit Gregorius, dato ab Ecclesiâ argento quæ judicaverat, acceptâ securitate componunt, datis sibi invicem per partes

*Feida,*  
*fehde.*

*Ludovici*  
*passim à*  
*Principibus*  
*prohibita.*  
*Non sublata*  
*tamen.*

*Diffidatio.*

*Treuga,*  
*Treua Do-*  
*mini.*

*Quibus*  
*diebus à*  
*duellis ces-*  
*sandum.*

Sacramentis, ut nullo unquam tempore contra alteram pars altera mussitaret, & sic altercatio terminum fecit. Privata hæc bella Feida, *fehde*, appellabatur in legibus Saxonum & Longobardorum & in capitularibus Caroli M. & additionibus. Pessimum hunc morem Christianâ religione susceptâ reprimere conati sunt Principes. Vide Cassiodorum *lib. 3. c. 23.* ubi Colosseo Comiti mandat Sirmiensis Pannoniæ provinciam. Et cap. 24. ubi incolas Pannoniæ hortatur, uti abstineant his monomachiis. Et Carolus M. valde improbat *lib. 5. Capitularium. cap. 180.* minaturque *lib. 5. cap. 134.* Si quis pro Feidâ pretium recipere nolit, & justitiam exinde facere, in talem locum se missurum eum, ut majus damnum non crescat. Repetiit Ludovicus Pius A. D. 828. & Carolus Calvus cognitione Comiti datâ, quam qui detrectabant, ad Principem mittebantur, exilio temporario puniendi. Non potuit tamen excindi hæc grassatio, quin gravius secundæ Regum familiæ temporibus, & initio tertiæ per Galliam exardesceret, & jus belli privati nasceretur, ut notat Bignonius ad Marculphum. Erant isthæc bella privata nec legibus probata, nec omninò damnata: Quin si provocatio, vel, ut tùm temporis loquebantur, diffidatio processisset, pro jure constituto habebantur, ita, ut in adversarium cæde, prædis & incendiis grassari liceret, ut docet Ivo *epistolâ 133.* Fridericus I. apud Abbatem Urspergensem, & Conradus Imperator. Inde moti Episcopi, ut cacoëthes, cum tollere non possent, saltē quadam tenus restringerent, statutis induciis ejusmodi per aliquot saltem dies de septimanâ, quibus à cædibus immunes feriarentur, eosque dies religionis prætextu sacros redderent. Quas inducias Treugam Domini, vel, ut Ivo Carnotensis, Dei treviam appellabant. Id est, à bellis privatorum inter se cessationem seu feriacionem. Primum itaque anno 1031. Episcopi & Proceres provinciarum in Aquitaniâ, deinde per reliquas Gallias, decretis suis, privatis conflictibus inducias indixerant, sub nomine, ut dixi, *Treuga Domini*, à Mercurii supremâ die, usque ad diluculum diei Lunæ sequentis septimanæ, ut nemo ab inimico ultionem sumeret, nemo prædaretur, nemo etiam à fidejussore pignus auferret, pœnâ capitæ, aut exilio, aut excom-

mu-

municatione in prævaricatores statutâ. Meminit Sigebertus Gemblacensis sub anno 1032. Rudolphus Glaber lib. 5. c. 1. fol. 55. his verbis: *Contigit ipso in tempore, inspirante divinâ gratiâ primitus in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per universum Galliarum territorum firmari pactum propter timorem Dei pariter & amorem, taliter, ut nemo mortalium à feria quartâ vesperâ usq; secundam feriam, incipiente luce, ausu temerario præsumeret quippiam alicui hominum per vim auferre, neq; ultionis vindictam à quocunq; inimico exigere, nec etiam à fidejussore vadimonium sumere. Quod si ab aliquo fieri contigisset contra hoc decretum publicum, aut de vitâ componeret, ut Christianorum consortio expulsus patriâ pelleretur, hoc insuper placuit universis, veluti vulgo dicitur, ut Treuga Domini vocaretur.* Porrò hæ Treugæ Domini à Concilio Claræmontano sub Urbano II. probatæ, & alii etiam feriati dies constituti. Ab Adventu scilicet Domini, usque ad octavas Epiphaniæ, & à Septuagesima usque ad octavas Paschæ. Et à primo die Rogationum, usque ad octavas Pentecostes. Additum etiam, ut qui Hierosolymam peterent, eorum bona semper essent in pace & treuga. Hinc factum, ut plurimi huic itineri non zelo pietatis se accingerent, sed ut se à creditorum vexatione eximerent, ut notat Wilhelmus Tyrius. Quod privilegium inde tractum ad Romipetas, & ceteros, quos *Burdinarios* dicebant. Amplificata sunt ista decreta concilio Romano sub Paschali II. cujus quidem concilii canones 2. extant: Sed tamen ex Epistola Guilielmi Ausciorum Episcopi, quæ extat in collectione Regiâ conciliorum tom. 26. ejus decreta deprehenduntur. Habetur & in Historiâ Benearn. lib. 5. c. 14. & in libro Marcæ de primatu Lugdunensi, quo certum Ecclesiis spatium definitum, intra quod homines & res eorum in tuto forent collocatæ, ut videre est tom. 6. collectionis Regiæ conciliorum. Ibi statutum, ut Ecclesiæ salutem habeant triginta passuum circumquaque: Monasteria vero LX. Confer *can. sicut antiquitas. c. 17. Passus Ecclesiastici.* Quem ambitum passus Ecclesiasticos vocat Johannes VIII. Innocentius III. Canonicum spatium *Epistolâ 162. lib. 1. Regesto 13. Salvatoriû,* Ille verò circuitus, qui apud Gregorium, Turonensem Salvatorium

rium dicitur, & Salvitas, die *Freyheit* posterioribus temporibus crucibus undiquaque terminabatur. Ita ambitus Ecclesiæ Parochialis Jenensis etiam hodie dicitur *usm Creuz*. Et ex Actis dedicationis Ecclesiæ S. Martini de Cressanâ anno 1132. ab Arnaldo & Archiepiscopo Narbonensi peractæ probat M. Antonius Dominici. Firmatur etiam ex veteri chartâ, quâ Theobaldus & Odo, Comes Exoldanensis sub Philippo I. Ecclesiæ de Musnete securitatem tanto terrarum ambitu definiunt, quanto volantis sagittæ jactu poterit contineri, jubentque ubi quieverit, ibi ex utroque cæli cardine crucem figi. Vide eruditam dissertationem Fabrotti *de Treuga & pace, & quem jam citavi M. Ant. Dominici, de treugâ & pace, P. de Marcâ de concord. Sacerd. & Imp. lib. 4. c. 14.*

## CAP. XVI.

Ad cap. 1. &amp; 2. de pactis.

S U M M A R I A.

1. Capitulum unde petitum.

3. Capitulum 2.

Capitulum  
unde peti-  
tum.

Medaura.

2. Medaura.

**P**etitum est capitulum I. ex concilio Africano. Id est ex concilio Carthaginensi Africæ primo, & quidem capite XII. ut rectè notat Contius. In primâ compilatione capitulum sic incipit: *Antigonus Episcopus Maturensis. Lege, Madurensis, Urbs Madura, & Medaura, Appulejipatria. Madurus Ptolemæo. Olim Episcopalis sub Archiepiscopo Carthaginensi, inter Numidiam & Getuliam, ubi olim literarum gymnasium, ad quod Divus Augustinus se contulit. In concilio ita legitur: Optantius cum se presentaret, pactum mecum habuit, & divisimus plebes. Manuscriptionis nostræ tenentur pittacia. Contra hoc pactum circuit plebes mihi attributas, & usurpat populos, ut illum patrem, me vitricum nominent. Gratus Episcopus dixit: Factum hoc dolendum est, ut in se illiciat populorum imperitorum animas contra disciplinam, contra evangelicam traditionem, contra pacis placita. Nam si sibi id posse contingere arbitraretur, nunquam profecto in fratrem aliquis deliquisset. Unde aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus, si se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiat disci-*

*disciplinam. Universi dixerunt: Pax servetur, pacta custodiantur.* Ex his constat hypothesis capituli nostri, & corrigi illud inde debet.

In capitulo 2. ad inscriptionem; Gregorius, addatur: *Pro- Cap. 2. jecto illustri, ex lib. 7. epist. 60. Registri Gregorii. Epistola, quam Gregoriani cur omiserint, non liquet, ita habet ex editione Parisinâ Joh. Parvi, Anni 1518. Quoties in conventionibus quibusdam noster expectatur assensus, ne in dubium veniant, qua geruntur, rati, ea pro securitate partium debet habitio solidare (In registro mendosè: Ratio ea (sive eas) pro securitate partium debet habita solidare.) Proinde cognoscentes, quid inter dilectionem tuam & Fantinum defensor em, ac Rectorem patrimonii (partium, omittitur tamen in editione Venetâ anni 1504.) Panormitarum convenerit de portionibus (mendosè, proportionibus, in Veneto) tibi competentibus, in Masalenas & samanteria, in provinciâ Siciliâ (Siciliæ. Venetus) & in territorio Panormitano, & domo in Panormitana civitate sitâ, quam Ecclesie nostræ dudum titulo donationis obtuleras, nostrum in his accommodamus assensum, atq; omnia sicut inter vos gesta sunt per hujus rationis (lege, rati habitationis) paginam confirmamus, nec quidquam eorum à nobis successoribusq; nostris deduci in irritum profitemur, quia valde est moderationi conveniens, ut quæq; ordinata fuerint & decisa nullâ in posterum debeant refragatione turbari.*

## CAP. XVII.

## Ad cap. 3. &amp; 4. de pactis.

## SUMMARI A.

- |  |                              |
|--|------------------------------|
| 1. Inscriptio emendatur.               | 3. Capit. IV. cui dirigitur. |
| 2. De his qui ad Ecclesias confugiunt. | 4. Decretalis integra.       |

**I**nscriptio apud Raymundum est: *Idem Januario Episcopo Ca-* Inscriptio  
*malitano. Rectè, ut in registro. Compilatio prima: P.E. Jo-* emendatur.  
*hanni à partibus Sar. Contius & A. Augustinus addunt omiſſa,*  
*ut & Gregoriani.*

In fine epistolæ agitur de his, qui ad Ecclesias confugiunt, *De his qui*

M

quo



*ad Ecclesias confugiunt.* quo pacto ex conventionem exire debeant & actus sui rationem reddere, & nullam vim pati, quod sacramento praestito eis promittendum, & defensor Ecclesiae ejus curet, ut ea, quae illis promissa fuerint serventur.

*Cap. IV. cui dirigitur.*

Capitulum IV. dirigitur ab Alexandro III. Exoniensi & Wigornienti Episcopis. Exonia, *Excester* urbs Episcopalis Angliae sub Archiepiscopo Cantuariensi. Vide Johannem Malmesburiensem *lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum*. Sub eodem Metropolitano est & Wigornientis Episcopus, Wigornia, *Worchester* inter Varvicum ad ortum & Herefordiam ad occidentem 30. ferme millia passuum ad Sabrinam fluvium. Celebris est infelici

*Decretalis integra.*

pugnâ Scotorum adversus Anglos, anno 1652. Integra decretalis sic habet: *Cum pridem Simon Clericus procurator Prioris & Monachorum de Acra & Petrus clericus pro causâ, quâ inter eos monachos & praedictum P. ac fratrem ejus, pro cujus parte vicem se dicebat gerere super Ecclesia de S. (Sintonia) & capella de L. (Lintonia) vertebatur, ad nostram praesentiam pariter accessissent, ita interim, inter se, non tamen nobis mediantibus, convenerunt, quod praedictus Procurator Prioris & Monachorum eidem P. pro expensis, quas fecerat, tres marcas argenti persolveret, & idem P. liti cederet & à Monachorum infestatione penitus cessaret. Cumque compositionem ipsam ad nostram pertulissent audientiam, eamque confirmari auctoritate apost. supplicarent, nos eam non duximus admittendam, pro eâ, quod videbatur pravam speciem illicitae pactionis continere. Monuimus autem praedictum P. ut ipse tam pro se quam fratre suo monachos in pace dimitteret & eidem liti omninò renunciatet. Et caetera.*

## CAP. XVIII.

### Ad capit. i. x. de Transact.

#### S U M M A R I A.

- |                                       |                            |
|---------------------------------------|----------------------------|
| i. Capitulum I. non est Gregorii III. | 3. Casus capituli.         |
| 2. Epistola à paribus.                | 4. Capit. IV.              |
|                                       | 5. Staffordia urbs Anglia. |

6. Cap.

6. Capit. V. inscriptio suppletur. 8. Capitulum exhibetur integra  
7. Cap. VI. suppletur inscriptio. grum.

**P**erperam tribuitur capitulum primum Gregorio III. Exstat *Capitulum*  
enim libro 7. Epist. 27. registri Gregorii magni. Inscriptio *I. non est*  
ibi est ad Antonium, Subdiaconum & Dominicum Abba- *Gregorii III*  
tem atque Presbyterum à paribus. Quid est, à paribus? *Epistola à*  
Nempe duo exempla unius epistolæ ad duos vel plures missa. Ita *paribus.*  
enim sub finem ait Gregorius: *Pro munimine superscripti Mona-*  
*sterii memorato Dominico Abbati atq; Presbytero simile præceptum*  
*dedimus.*

Casus est talis: Lis erat inter Præpositos monasterii Sancto- *Casus capi-*  
rum Maximi & Agathæ cum administratoribus Romæ constitu- *tuli.*  
tis Xenodochii, quod Valerii dicebatur, de possessionibus qui-  
busdam in territorio Panormitano sitis, quæ tandem inter partes  
composita fuit per Antonium, Subdiaconum, Præpositum mona-  
sterii S. Valerii, & Dominicum Abbatem atque Presbyterum di-  
cti monasterii Maximi & Agathæ. Confirmat auctoritate suâ  
Gregorius transactionem, irrita pronuncians omnia instrumen-  
ta, & quidquid partibus ansam præbere possit ad litem sopitam  
resuscitandam.

In capitulo IV. scribitur Abbati de Stra. & Priori S. Eusebii, *Capit. IV.*  
si Raymundo credimus. Puto legendum, de *Staffordia*, ut post  
concilium Lateranense. 28. c. 6. legitur. Est Staffordia urbs An- *Staffordia.*  
glia in Comitatu cognomine ad amnem Savum, media inter  
Darbiam ad ortum, & Salopiam ad occasum. *concil. p. 28. c. 3.* De  
Esebi vel Esebet, nihil succurrit, nisi quod similis inscriptio in se-  
cundâ collectione capite ejusdem tertio, eodem titulo habeatur:  
*Abbati de Stanfort & Priori de Esibili.*

Capituli V. inscriptio ita concipitur in compilatione primâ. *Cap. V. in-*  
*Idem Carnotensi Episcopo. Pars capituli: Nos in eminenti.* Sic scriptio  
etiam legitur in concilio *parte. 28. c. 10.* Intelligitur capitulum, *suppletur.*  
quod habetur in primâ compilatione sub titulo de appellatione.  
*c. 40.* Et post concilium Lateranense. *p. 49. c. 12. & 13.* ubi sola  
particula, *Nos*, omittitur. Est alia Epistola Hadriani Papæ *c. 10.*

parte 13. cujus initium est: Nobis in eminenti speculâ disponente domino constitutis. Item c. 15. de decimis & c. 9. de censibus in primâ collectione. Ant. August. notis ad primam collectionem.

Cap. VI. suppletur in scriptio. Capitulum exhibetur integrum.

Capitulum sextum in primâ collectione ita inscribitur: Idem venerabilibus fratribus R. Eboracensi Archiepiscopo Apostolicæ sedis Legato & R. Wigornienfi Episcopo. Capitulum ita orditur: Ex literis vestrae Fraternitatis accepimus, quod cum olim inter R. & A. super Ecclesiâ de Ministria, (Gregoriana, de Vult. forsan, de Wiltoniâ, pago proximo Sarisberiam urbem, ubi cœnobium Monachorum ordinis Benedictini, alii de Ministro, de Ministri) & Capellâ de Torbec (in Barcinonensi, Torstolhec, alibi Torstollis) ad eandem Ecclesiam pertinente coram Te, frater Episcopo, q. i. f. d. a. G. q. t. e. A. p. in c. & t. i. f. t. jam pridem f. f. post transactionem idem veniens ad præsentiam nostram & s. m. c. c. n. e. t. i. c. ad Dumellinum (Duellinum, Divellinum, cujus meminit Hovedenus annal. parte post. p. m. 561. n. 21. Vellinum, Lege, Dunelmium vel Dunelmensem.) Episcopum & Decanum Eboracensem, si benè meminimus super eandem Ecclesiam & capellam tacitâ veritate de transactione ipse G. l. n. i. C. a. i. G. & Responsales prædicti R. in nostrâ deinde præsentia fuissent constituti, nos ex literis vestris veritatem super his cognoscantes, & attendentes etiam, quomodo præfatus G. non inficiabatur s. t. i. e. n. f. t. c. l. i. obtinuit e. f. præscripta E. & capellâ auctoritate Apostolicâ silentium imponimus, & memoratum R. ab ejus impetitione auximus absolvendum.

### CAP. XIX.

Ad cap. VIII. & XI. de Transact.

#### S U M M A R I A.

- |                                  |  |
|----------------------------------|--|
| 1. <i>Varia lectio.</i>          | 4. <i>Hypothesis Capituli.</i>                   |
| 2. <i>Capit. ult. emendatur.</i> | 5. <i>Latinorum in Oriente brevis dominatus.</i> |
| 3. <i>Johannes Columna.</i>      |  |

*Varia lectio.*

**A**

lexander III. Abbati de Strapho, & Priori de Phœbi. Ita Raymundus. MSCrus unus Jenensis: De Stanfor & Prio-

ri de Febi. Alter: De Stanfor. Et Priori & dephebi. Gregoriani in notis: de Stanpho & Priori de Plib. A. Augustinus in fecundâ collectione, de Stanfort & Priori de Esibili. Et in margine: De Esebi. Ego jam capite præcedenti monui, eandem hanc esse inscriptionem, quæ habetur in capite IV. anteriore. Meminit castri Stanford Henricus Huntindoniensis lib. 8. pag. m. 397. n. 52. In compil. I. Abbati de Stradefort.

Inscriptio capituli ultimi ita integrari debet: Johanni, tituli S. Praxedis, Presbytero Cardinali, Apostolicæ sedis legato: Fuit is Johannes Columna Romanus, creatus ab Honorio III. anno 1216. Vide Volaterranum lib. 22. Antropol. & Onuphrium lib. 4. c. 22. de Basil. Lateran.

Agit autem hoc capitulum de dissensu Ecclesiæ Græcæ & Latinæ. Digna sunt, quæ integrè legantur, quemadmodum Emendatores Gregoriani capitulum totum representant. In specie quærebat Johannes, quomodo puniendus esset Neoportensis Archidiaconus, qui quibusdam eundi cum mercibus in Alexandriam contra statutum concilii generalis licentiam de facto tribuebat. Respondit Honorius, quod debeat in humaniorem partem inclinare, propter statum Latinorum adhuc in oriente debilem. Prudenter! Brevi enim duravit hæc Latinorum potestas, sub Michaelè Palæologo recuperatâ CPoli & Latinis ejectis.

Cap. ultim.

emendatur.

Johannes

Columna.

Hypothesis

capituli.

Latinor. in

oriente

brevis do-

minatus.

## CAP. XX.

## Ad tit. XXXVII. de postulando.

## SUMMARI A.

1. Connexio tituli cum superioribus.
2. Rubrica in prima compilatione habet aliter.
3. Advocati & patroni causarum differunt.

Post pacta & transactiones agitur de postulando, ordine in jure civili observato. Leges Duodecim: Rem ita nē patiti cum superioribus.

M 3

Ca- bus.

Rubrica in  
primâ com-  
pilatione  
aliter ha-  
bet.

Advocati,  
& patroni  
causarum  
differunt.

Capitulum primum est ex concilio Lateranensi, sub Alexan-  
dro tertio, capite XII. In primâ compilatione non ita concipitur  
hic titulus: Sed *de officio advocatorum*: In reliquis penitus o-  
mittitur. In quintâ habetur: Sed ponitur capitulum, quod  
Gregorius sub titulo suæ collectionis superiori, de officio Judi-  
cis, collocavit. Prohibentur autem clerici in subdiaconatu, &  
supra, coram seculari Judice advocare. Ita loquitur capitulum,  
id est, postulare. Non enim omnes Advocati causas agunt; Alii  
enim lites dirimunt, ut assessores, Advocati dicti, quia in consi-  
lium advocantur *l. ult. C. de Advoc. div. judic.* Alii qui adsunt  
alteri in causâ, officii gratiâ. Et appellatur Advocatus, usu Ro-  
manorum, etsi nihil dicat, vel agat, sed tantum paratus sit defen-  
dere: Patronus propriè qui agit causam, non accusantis, sed ac-  
cusati. Cicero pro Cluentio: *Quis unquam non modo in patroni  
sed in landatoris, aut Advocati loco videri.* Et Asconius Pedia-  
nus: *Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, si ora-  
tor est, aut Advocatus, si jus suggerit, aut presentiam suam commo-  
dat amico.* Sed hodie promiscuè sumuntur, patroni, advocati,  
causidici, oratores, Rhetores, Scholastici, togati. Advocato-  
rum nomine veniunt locorum quoque sacrorum defensores *Exdi-  
xerit*, ut in primitivâ Ecclesiâ, qui per uniuscujusque civitatis inco-  
las eligebantur, ut notat Balsamo *ad can. 78. concilii Carthagi-  
nensis.* Vicedomini, custodes, Guardiani, Castaldi.

## ECLOGA X.

### CAP. I.

### Ad Tit. XXXVIII. de Procuratoribus.

#### CAPIT. I.

#### S U M M A R I A.

1. Capit. I. inscriptio.

4. Ecclesia de Bubet.

2. Capit. II.

3. Salisberiensis Episcopus, non Sabinensis.

5. Ad capit. VI.

In-

**I**nscriptio est: *Maximo Salonenſi Episcopo*: Sed in regeſto, *Salonenſi*, habetur. Quod omnino ſequendum. Capit. 1.

In cap. 2. habetur ejuſdem Alexandri III. decretaliſ. *A. Cap. 2.*  
 Clericus contenderat cum Episcopo *Sabin.* Ita Raymundus.  
 Sed perperam. Collectio II. rectè, *Saluſberienſi.* Reſcribitur in *Saluſberien-*  
 Angliam, ubi nihil juris *Sabinis*, aut *Sabinianis*. Niſi quis ma- *ſis Episco-*  
 lit, *Sabrinenſem*, ad *Sabrinam* fluvium. Sed lectionem compi- *pus, non Sa-*  
 lationis antiquæ præfero. *Lis*, inquam, erat, at quâ de re? *binenſis.*  
 per *Eccleſia de Bubet.* Alii, de *Bribec*, alii de *Bibet.* *Bubetford* *Eccleſia de*  
 meminit *Malmesburienſis lib. 3. p. m. 276.* Quærant locum, quibus *Bubet.*  
 ocium & libri in promptu ſunt. Hanc litem terminandam dele-  
 gaverat *Alexander Vigornienſi Episcopo.* Clericus ægrotare in-  
 cipiens comparere ad condictum diem non poterat, miſit Presby-  
 terum & Diaconum ſuum, ad excuſandum abſentiam. At Com-  
 miſſarius Pontificis, Episcopus *Vigornienſis* abſentem in expen-  
 ſas condemnauerat. Pontifex ſententiam reſcindit, & *A. Cle-*  
 ricum abſolvit.

Capitulum VI. Eſt *Clementis III.* Quod ita orditur in com- *Ad cap. VII.*  
 pilatione ſecundâ. *Ex inſinuatione dilecti filii I. Archidiaconi Sang-*  
*accepimus, quod cum inter ipſum & magiſtrum W. de Sang. ſuper*  
*quâdam præbendâ Lexov. Eccleſia, quæ de Pomeria dicitur. Lexo-*  
*viorum civitas, Liſieux, urbs eſt Episcopalis in Normanniâ ſub*  
*Metropolitano Rotomagenti.*

## CAP. II.

## Ad cap. VII. de Procurator.

## S U M M A R I A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Permittitur Scholaribus Pari-<br>ſienſibus per procuratorem a-<br>gere. | 3. Formula <i>Marcolſi</i> procurato-<br>ria. |
| 2. Ratio dubitandi.  | 4. Admallare quid?                            |
|  | 5. Mallus.                                    |
|  | 6. Lui quid ſit.                              |

Permittitur  
Scholaribus  
Parif. per  
procurato-  
rem agere.  
Ratio dubi-  
tandi.  
Formula  
Marcolfi  
procurato-  
ria.

**I**nnoentius III. Scholaribus Parisiensibus permittit per procura-  
torem agere & respondere. Sed quid opus permisso? Cum  
Pontifex ipse asserat, id jure communi licere. Ratio deciden-  
di, quod olim non liceret in Galliâ agere per procuratorem  
sine diplomate Principis. Ut vetustissimo jure Romano cave-  
batur, ne alieno nomine ageretur, nisi certis casibus. *princ.*  
*Inst. de his per quas agere poss.* Apud Francos idem obtinuisse  
docet formula Marculfi hac de re: *Fidelis DEO propitio ILLE,*  
*ad nostram veniens presentiam suggestit nobis, eo quod propter sim-*  
*plicitatem suam causas suas minimè possit prosequi, vel admallare,*  
*clementie regni nostri petiit, ut illustris vir ILLE omnes causas ipsius*  
*& vice ipsius, tam in pago, quam in palatio nostro admallandum*  
*prosequendumq; recipere deberet, quod in presenti per fistucam eas*  
*eidem visus est commendasse. Propterea jubemus, ut dum taliter*  
*utriusq; decrevit voluntas, memoratus ille vir omnes causas lui, ubi-*  
*cunq; prosequi, vel admallare deberet, ut unicuiq; pro ipso, vel ho-*  
*minibus suis, reputatis conditionibus & directum faciat, & ab aliis*  
*similiter in veritate recipiat. Sic tamen quamdiu decrevit eorum*  
*voluntas.*

Admallare  
quod.

Mallus.

Lui, quid  
sit.

Idque diu apud hos obtinuisse testatur Johannes Faber  
ad §. *Universitatis. Inst. de rer. divis.* Eâdem ratione & Ec-  
clesiarum advocati seu defensores à Principe petebantur.  
*Capitulares 31. lib. 5. & lib. 7. cap. 308.* In superiori formula  
occurrit verbum, *Admallare*, barbarum, à mallo, seu placito, in  
quo judicia fiebant, coram Comite. *Capitulares lib. 3. c. 28. 51.*  
*57. & lib. 4. c. 28. ibi: Ubi antiquitus consuetudo fuit de libertate*  
*sacramenta adhamire vel jurare, ibi mallum habeatur, & ibi sacra-*  
*menta jurentur. Mallus tum neq; in Ecclesia, neq; in atrio ejus ha-*  
*beatur. Minora verò placita Comes sive intra suam potestatem*  
*vel ubi impetrare potuit, habeat. Volumus itaq; ut domus à Comite*  
*in loco, ubi Mallum tenere debet, constituatur, ut propter calorem so-*  
*lis & pluviam publica utilitas non remaneat. Sed quid sibi vult*  
*Lui? Est Gallicum relativum, pro, Illius, quod frequens apud*  
*Marculfum. Vide Bignonium. Hinc Bonifacius octavus in-*  
*tercessit ad Principes, & Dominos seculares, ut Abbatissis & Mo-*  
*nia-*

nialibus per procuratores & *attornatos* suos in eorum tribunali-  
bus agere liceret. *cap. periculoso. §. porro. de Stat. regul. in 6.* Sed  
cur Universitas Parisiensis hanc licentiam à Pontifice, quàm Re-  
ge, potius petebat? Excusat id *Alteserra*, sed non persuadet.

## CAP. III.

## Ad capit. VIII. de Procuratoribus.

## S U M M A R I A.

- |                                     |                         |
|-------------------------------------|-------------------------|
| 1. <i>Honorius III. Egitanensi.</i> | 4. <i>Capitulum IX.</i> |
| 2. <i>Edigita, Idigita.</i>         | 5. <i>Mutina.</i>       |
| 3. <i>Textus integratio.</i>        | 6. <i>Capitulum X.</i>  |

**H**onorius III. rescribit Egitanensi Episcopo. Critici Gre- *Honorius*  
goriani variam, non veram hic observant lectionem, *III. Egita-*  
*nensi.* Edigita, Idigita, Igadita, urbs Episcopalis, *nensi.*  
sub Metropolitana Bracarensi, quæ sedes inde Guardiam in *Edigita,*  
finibus Lusitaniæ, patriam Regis Wambæ, translata est. Textus *Idigita.*  
ita ab initio habet in compilatione V. *Auditis & intellectis, quæ Textus in-*  
*fratris Johannis Colobriensis, & Bartholomæi Egitanen. Canonico-*  
*rum.* Dubitat Innoc. Cironius, utrum Colobria hæc sit Montanges, *tegratio.*  
an Conimbria, cum Episcopatus Hispaniæ sæpe immutati fuerint.

In cap. IX. rescribitur M. & R. Canonicis Mutinensibus. *Capitulum*  
tina urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Bononiensi, Ducatus ti- *IX.*  
tulo nobilis *Ducato di Modena, seu Il Modenese.* Memoratur *Mutina.*  
hoc capitulo, quod Mutinensis iste Episcopus, qui erat Wilhel-  
mus, in Livoniam profectus fuerit, jussu Honorii ad confirmandos  
Neophytos Livonos, quos Waldemar Rex Danorum anno 1218.  
ad fidem converti fecerat.

In cap. X. Mulier Nobilis D. de Massa, Lucanæ diœceseos *Capitulum*  
contraxit filii sui nomine cum Ubaldò cive Pisano, nomine filia *X.*  
hujus Ubaldi. Sed cum nobilis illa D. forsitan nollet perficere  
promissum, Ubaldus eam detinuit. Pontifex mandat, ut liberam  
eam dimittat.

## CAP. IV.

Ad capit. I. De his, quæ vi metusve causâ  
fiunt.

N

S U M



## S U M M A R I A.

- |                                 |                         |
|---------------------------------|-------------------------|
| 1. Auctor Decretalis Alexander. | 7. Sigla P. quem notet. |
| 2. Osca, Aragonia.              | 8. Calaguris urbs.      |
| 3. Osca Tarraconensis, Huescar. | 9. Quintiliani patria.  |
| 4. Monasterium Colobres.        | 10. Patria Prudentii.   |
| 5. Turiaso.                     | 11. Unio Episcopatus.   |
| 6. Tarazona.                    |                         |

**A**uctor Decretalis Alexander. Osca, Aragonia. Osca Tarraconensis, Huescar.

**E**st Alexandri III. ad Oscansem Episcopum & Priorem S. Mariae Caesar Augustanum. Osca, hodie Huesca, in regno Aragoniae, qua parte olim Ilergetes Vescitanis, sive Autetanis confines erant. Est Academia & sede Episcopali nec non Martyris celeberrimi, Laurentii, Ecclesiae Romanae Archidiaconi natalibus illustris. Est & altera Osca oppidum Hispaniae Tarraconensis, in regno Granatae & confinio Marciae, Huescar seu Guescar. Ecclesia S. Mariae Caesaraugustana, cujus Prior in hoc capitulo nominatur, fertur à Jacobo Apostolo erecta, creato ibi S. Athanasio primo ejus Episcopo & Virgini Deiparae dicato. In compilatione prima est: *Quod, cum quidam vir nobilis, prudens, ac potens. A.* in concilio integrum nomen est. *Atornella*, ut & in libro Tarraconensi, nomine *M. mulierem de Orcia, quondam uxorem &c.* Post verba: *Ocoidere voluerunt*, sequitur, *eadem ad pedes cognati cecidit, & ut sibi vitam servaret lacrimosa supplicatione rogavit. Cognatus vero misericordiam & pietate ductus, ei sub tali conditione pepercit, quod in monasterio de Colobres &c.* Nomen hujus monasterii varie scribitur, Ant. Augustinus *Talabres* scribendum putat. Paulo post ubi fit mentio duorum Episcoporum, in alterius quoque nomine mire variatur. *Triscaconensis, Tersonensis, Tyraconensis, Turiasonensis.* Quod posterius genuinum est. Turiaso, Tarazona, vel Taragona urbs est Aragoniae, prope montem Caunum, Episcopalis, sub Archiepiscopo Caesaraugustano, apud fines Castellae veteris & Navarrae. Post verba: *De monasterio exiens*, compilatio prima sic pergit: *De monasterio exiit, & cuidam nobili P. videlicet de Camberis nupsit. Sorores autem cum exclamarent, & Episcopo Calaguritano conquestae fuissent. P. illum, Petrum Semeni de Cambero nuncupat liber Barci-*

nonensis. Calagatis, Calagurris urbs est Episcopalis, sub Ar- quem no-  
chiepiscopo Burgensi, ex decreto Gregorii XIII. cum ante sub Tar- tet.  
raconensi esset, in finibus Vasconum patria Fabii Quintiliani & Calagario  
Prudentii Poëtæ. Sed de loco natali hujus variatur. Calagur- urbs.  
rim nominant Ant. Nebricensis & Johannes Mariana lib. 4. c. 17. Quintiliani  
Alii Cæsaraugustam, quod Aldo in vitâ Prudentii placet. Ab u patria.  
troq; discedit Mantuanus in notis ad hunc Marianæ locum, & Sa- Patria Pru-  
liæ in Salanis populis ortum fuisse, qui ad Oceanum Cantabricum dentii.  
siti erant. Qua de re disputat prolixè Franciscus Bivarius ad Fla- Unio Epi-  
vii Lucii Dextri chronicon. p. 385. Porrò Episcopatus Calciatensis scopatus.  
huic unitus fuit anno 1236.

## CAP. V.

Ad capit. II. de his quæ vi &amp;c.

## SUMMARI A.

- |                         |                           |
|-------------------------|---------------------------|
| 1. Emendatio Principii. | 4. Nidrosia.              |
| 2. Eadmundus episcopus. | 5. Capit. VI. species.    |
| 3. Capit. V.            | 6. Burgensis, quid vocis? |

**R**ectè notant Gregoriani in principio capituli legendum: *Emendatio*  
*Abbas S. Eadmundi.* Et ita compilatio. I. Eadmundus *Principii.*  
hic episcopus Lindisfarnensis fuit, de cujus electione *Eadmundus*  
fortuitâ vide Malmesburiensem lib. 3. pag. m. 276. *episcopus.*

Capitulo V. Vidronensem Archiepiscopum ignoro, Nidro- *Capit. V.*  
siensem cum Gregorianis substituo. Nidrosia, Drontheim/ Nor- *Nidrosia.*  
vagiæ caput, regiâ sede & Archiepiscopatu clara Latina denomi-  
natio est à Nidero fluvio, ad cujus ostium jacet. Anno 1658. Suecis  
cessit pæce Roschildensi: At Daniæ Regi in pace ad Olivam reddita.

Capituli VI. Hæc est species: In insulis, ad oram Narbonen- *Capit. VI.*  
sem, vulgò *Les Isles d' Hieres*, olim fuere Cisterciensis familiæ Mo- *species.*  
nachi, quibus à Saracenis abductis Canonici Regulares locum va-  
cuum occuparunt & XXX. annis possederunt, jurejurando inter-  
posito, de regulâ Cisterciensis ordinis observandâ, atque Ecclesiâ  
suâ ad illum ordinem transferendâ idque presentibus fratribus  
Cisterciensibus. Postea postularunt à Pontifice in integrum re-  
stitui, ut dolo & metu inducti. *Burgensis,*  
Burgenses, quæ vox occurrit hoc *ca-*  
*quid vocis?*

capitulo, cives sunt, incolæ urbis vel oppidi, in Burgum aliquem adscripti, Ordericus Vitalis lib. 3. *Ante domum cujusdam Burgenfis.* Guilielmus de Nangis: *Mandavit Comes Atrebatum omnes dominas & domicellas ejus patriæ, ut cum uxoribus Burgenfium ejus civitatis choreas ducerent.* Quandoque à civibus distinguuntur, ut notat Sirmondus *ad Alexandri III. Epistolæ* & opponuntur Comitatus, ut observat Freherus. *Burgus* πύργος, turris. Ex hisce limitaneis arcibus, castrisque temporis tractu urbes factæ fuerunt, hinc nostrum *Burger* pro civitate.

## CAP. VI.

Ad capit. I. III. &amp; IV. de in integr. restit.

## SUMMARI A.

- |   |   |
|---|---|
| 1. <i>Alphanensis, Alphanus, Allifanus, an Albanus.</i> | 5. <i>Pro Floren. rescribatur Roffensi.</i> |
| 2. <i>Allipha, Alliphium.</i>                           | 6. <i>Evesham monasterium.</i>              |
| 3. <i>Albania.</i>                                      | 7. <i>Capit. IV.</i>                        |
| 4. <i>Capit. III.</i>                                   |   |

*Alphanensis, Alphanus, Allifanus, an Albanus.*

*Allipha, Alliphium, Albania.*

*Capit. III.*

*Pro Floren. rescribatur Roffensi.*

**A**lexander III. rescribit *Alphanensi* Episcopo. Collectio I. *Alphano.* Ant. Augustinus putat rescribendum, *Allifano.* Est Allipha, Alliphium Samnitum civitas Plinio & Ptolemæo, *ἀλλίφια* Straboni, inter Venafrum & Beneventum. Refertur inter colonias Romanas à Frontino. Capitulum istud denuo ponitur in primâ compilatione *lib. 3.* sub titulo *de reb. Eccl. alien.* Et quia ibi subjicitur decretali Alexandri ad Episcopum Wigorniensem, suspicabar legendum, Albanienfem. Albania provincia Scotiæ dicitur. Facit, quod Alexandri nostri rescripta pleraque ad Episcopos Britanniæ dirigantur. Sed nihil muto.

In cap. III. rescribit Papa Innocentius III. Heliensî & nescio cui Floren. Episcopis Anglicanis. Ex MStis restituatur Roffensi. De Heliensî dixi semestri primo, *eclogâ III. c. 8.* Roffensis est suffraganeus Archiepiscopi Cantuariensis. Confirmatur hæc nostra emendatio ex inscriptione *cap. 15. x. de præscripti.* ubi eadem species facti, quæ hîc, proponitur: Nempe causa vertebatur inter Episcopum Wigornienfem & Abbatem Eveshamenfem seu de E-

vesham, ita enim legendum, non *Evescam*, *Evesan*, *Eveleham*, ut legit tertia compilatio hic, aut ut in *tit. de præscript. Vasham*, de quibusdam Ecclesiis vallis & villæ Eveshami, quas diocæseos jure Episcopus, ad se pertinere dicebat. Monasterium Evesham *Evesham* ab Egvvino Wigornienſi Episcopo tertio, ope Kenredi, Regis *monasteriū.* Merciorum fuit exstructum circa annum Domini DCC. Vide *Malmesburiensem lib. 4.* Abbas contendebat eas exemptas esse à diocæsi & ditione Episcopi, privilegio Regum Angliæ, *Roë & Offa.* Ita Raymundus. Collectio III. *Konrado & Offa.* Gregoriani *Rendo*: Cujacius, *Henrico.* Lege: *Kenredo & Offa*, ut habetur in collectione III. *cap. V. de præscript.* Exemptas, inquam, ex privilegio Regum, quos dixi, & Papæ Constantini. Ita collectio tertia sub titulo, de præscriptionibus: At hoc tit. sigla C. sola ponitur. Raymundus: Cœlestini, quod ratio temporis non admittit. Retinendus Constantinus. Idem etiam Abbas opponebat Episcopo præscriptionem XL. annorum. Episcopus ad elidendam præscriptionem contendebat Ecclesiam Wigornienſem tanto tempore vacasse, ut eo tempore subducto præscriptio non possit compleri. Quod cum probare non posset, Abbas autem omisisset allegare & probare, vallem de Evesham libertate donatam fuisse à Kenredo Rege & Constantino Pontifice, ideo Innocentius III. utramque partem restituit in integrum.

Capituli IV. inscriptio in tertiâ compilatione sic habet: *Capit. IV.*  
*Priori S. Mariæ ad Carceres, & L. Canonico S. Mariæ de Mandriâ.*  
 Textus ita: *Ex literis dilecti filii Abbatis de Calavea, didicimus, quod cum dilectus filius de Ramusan & Grimol. Archipresbyteri inter l. virum & l. mulierem.* Nimirum sententia divortii prolata fuerat ab Archipresbyteris de Ramusan & de Grimol. Mulier appellat ad sedem apostolicam, appellationis causam Pontifex mandat Abbati & Archipresbytero Paduano. Abbas, cui Archipresbyter vices suas delegaverat, confirmat sententiam divortii, dum pars mulieris in termino non comparuerat. Post sententiâ, elapsis octo diebus, venit pater mulieris, & jurejurando affirmavit, se falsis persuasum fuisse literis, nomine judicis præsentatis, in quibus terminus octo diebus serius, quam reverâ statutus erat, prolatus

fuiſſet. Pontifex in favorem matrimonii, de benignitate canonicâ ad audientiam mulierem reſtituit.

## CAP. VII.

## Ad capitulum IV. de in integr. reſt.

## S U M M A R I A.

1. *Oſcenſis Eccleſia.*
2. *Sertoriana Academia.*
3. *Sertorii ſepulcrum.*
4. *Ilerda, Lerida.*
5. *Hypothefis capituli.*

*Oſcenſis Eccleſia.*

**R** Eſcribitur Epifcopo & Capitulo Oſcenſi, in cauſâ vertente inter Eccleſiam Oſcenſem & Ilerdenſem. De illâ, nî fallor, dixi ſupra, quod urbis ſit Epifcopalis, olim ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi, nunc verò ſub Cæſar-Auguſtano, in regno Arragonio, quâ parte olim Ilergetes Veſcetanis, ſive Autetanis confines erant, quod fuit etiam cauſa, ut Oſca quibusdam in Veſcetanis, vel Autetanis, nonnullis verò in Ilergetibus, ut Ptolomæo, fuiſſe videatur. Hodiè Hueſca appellatur, Academia illuſtris, ſedeque Epifcopali. Academiam jam olim à Sertorio inſtitutam ſunt, qui tradunt, ibidem à conjuratis interfecto & Liboræ ſepultæ. Ilerda, hodiè Lerida, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, in Cataloniâ, Epifcopalis ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. Inde Ilergetes populi, oppida ejus Ilerda, Oſca, Burtina, Bergidum, Berguſia, Celfa. Lis, inquam, erat inter hæc Eccleſias de quibusdam Eccleſiis, coram Eugenio III. Pontifice, qui ſecundum Eccleſiam Oſcenſem ſententiam dedit. Inde ſedente Anaſtaſio IV. Cœleſtinus Legatus ſedis Apoſtolicæ de cauſâ iterum cognovit, neque eam terminavit, & ab Alexandro III. mandatum accepit, ut denuo cognosceret. Alexandro mortuo Cœleſtinus pontifex factus G. S. Angeli Diacono Cardinali, tum Legato ſedis apoſtolicæ in Hiſpaniâ eandem cauſam commiſit. Denique tempore Innocentii III. Alanus Canonicus Ilerdenſis poſtulavit à Pontifice ſententiam Eugenii III. reformari, & Eccleſiam Ilerdenſem in integrum reſtitui. Tandem Pontifex Capitulo Oſcenſi unicum terminum premtorium ad diem B. Luciæ aſignavit.

*Sertoriana Academia.  
Et Sertorii ſepulcrum.  
Ilerda, Lerida.  
Hypothefis capituli.*

CAP.

## C A P. VIII.

Ad cap. V. de in integr. rest.

## S U M M A R I A.

1. Burgi, urbs Archiepiscopalis. 4. Ejus suffraganei.  
 2. A jure Metropolitano exempta. 5. Oviedense monasterium.  
 3. A Gregorio XIII. Archiepiscopalis facta. 6. Inscriptio capituli.

**S**ulscitatâ super diversis articulis inter Burgensem Episcopum & Ovienſe monaſterium ſuper libertate & ſtatu monaſterii, ſententia definitiva lata fuit à ſummo Pontifice. Contra ſententiam petita reſtitutio in integrum propter omiſſam exceptionem præſcriptionis. Burgi, hodiè Burgos, urbs Archiepiscopalis Hiſpaniæ, caput regni Caſtellæ veteris. Eò, anno 1075. ab Alphonſo VI. Rege Hiſpaniarum Eccleſia Auſceniſis translata eſt, Urbano II. Pontifice confirmante, qui eam ab omni jure metropolitano exempt, cum antea Tarraconenſi Archiepifcopo ſubdita fuiſſet, Romanæque ſedi immediatè ſubjecit. Demum Philippo II. Rege poſtulante in archiepifcopalem ſedem ſublimate eſt à Gregorio XIII. attributis illi ſuffraganeis duobus, Pampeleonenſi & Calegurritano. Sed acta Eccleſiæ hujus ad urbem miſſa addunt tertium, Palentinum. In hac diœceſi numerantur XIII. Eccleſiæ collegiatæ, in Metropolitana autem ſunt XLIV. Canonicatus, præter Decanatum, ut Miræus refert. Pro Ovienſi legendum puto Oviedenſe, Ovetum, Oviedo, urbs Epifcopalis Hiſpaniæ, ſub Archiepifcopo Compoſtellano. Fuit aliàs urbs caput & regia regni Ovetani, quando poſt obitum Roderici Gothorum Regis ultimi chriſtiani à Mauris expulſi & in Aſurias coacti Principem Pelagium elegerunt, qui Ovetanum regnum inſtituit. Inſcriptio autem hujus capituli ex regeſto Innocentii XIII. *epiſt. 59.* reſtituenda eſt hoc modo: *Innocentius III. capituli Zamorenſi & Legionenſi Epifcopis.*

Burgi, urbs  
Archiepi-  
ſcopalis.A jure Me-  
ropolitano,  
exempta.A Gregorio  
XIII. Ar-  
chiepiſco-  
palis facta.Ejus ſuffra-  
ganei.Oviedenſe  
monaſteriũ.Inſcriptio  
capituli  
ſupplenda.

## CAP. IX.

Ad capitulum VII. de reſt. in integr.

S U M-

## S U M M A R I A.

1. Capitulum ex V. compilatione suppletum. 3. Inter Toletanum.  
 2. Controversia de Primatu. 4. Et Bracarensem.  
 5. Decisa pro Toletano.

Capitulum  
ex V. com-  
pilatione  
suppletum.

**C**apitulum hoc ut est in V. compilatione apponemus. Co-  
ram felicis memoriæ J. Papâ prædecessore nostro lite inter  
venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Tolosa-  
num, & te, frater Archiepiscopo, super primatiâ solenniter  
contestatâ, fuit peremptorius terminus assignatus: & infra.


Verùm elapso termino constituto, post expectationem non  
modicam comparuerunt dilecti Magister Scholarum, & Magister  
D. Canonici Bracarense vestras nobis literas præsentantes, quibus  
eos esse procuratores vestros in causâ prædictâ (ita quod in soli-  
dum uterque) apparebat: Sed quia, ut dicebant, non attulerant de-  
positiones testium, & alia munimenta, dilationem cum instantiâ  
postularunt. Postquam verò contra eos interlocuti fuimus super  
dilatione petitâ, tandem indulgeri Ecclesiæ Bracarensi dila-  
tionem, propter instructionem causæ per auxilium restitutionis  
in integrum postularunt, exhibentes super hoc ex parte nostrâ spe-  
ciale mandatum. Nos autem de fratris nostri consilio usque ad  
octavas Pentecostes proximè futuras post restitutionis beneficium  
id vobis duximus indulgendum.

Controver-  
sia de Pri-  
matu.

Inter Tole-  
tanum.  
Bracaren-  
sem.

Decisa pro  
Toletano.

Super Primatiâ ait textus. Ita enim legendum. Perperam  
quædam vulgaria, *primariâ*. Controversia Primatus Toletani &  
Bracarenensis fusè legi potest apud Marianam *lib. 5. c. 19. hist. Hisp.*  
Unde licet conjicere, hanc controversiam inter Rodericum Seme-  
num, Toletanum Præsulem & Archiepiscopum Bracarensem, qui  
jugum Toletani excussum ibat, terminatam fuisse in favorem To-  
letani. De primatu Toletani ex concilio Toletano XII. *can. VI. anno 681.* con-  
stat. Sic ab Urbano II. Toletano primatum delatum fuisse habetur apud  
Platinam *anno 1088.* Sed hic tamen hæc ad Innocentium III. usque pervenit,  
*Epist. 5. lib. 13.* in quâ Primatem Hispaniarum confirmat: Sed & ad Hono-  
rium, ut ex hoc capitulo, nec non ex *cap. III. de dilat. in compilatione V.* liquet.  
Imò iterum decisa fuit pro Toletanâ fede à Martino V. ut habet Mariana  
*lib. 6. c. 20.* Qui Johannem Cortrerium Archiepiscopum Tole-  
tanum altius evexisse Primatis titulum refert.



## CAP. X.

## Ad Tit. XLII. de alien. jud. mut. causâ.

## S U M M A R I A.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Restitutio ex capite alienationis iudicii mutandi causâ facta. | 5. Tervana.                               |
| 2. Cap. ult.  | 6. Scabini, quales iudices.               |
| 3. Decanus Furnensis. Abbatia Furnensis quando fundata.           | 7. Feynieri, Feimerii, Sciti.             |
| 4. Morinensis Episcopus.  | 8. Lambecii laus.                         |
|   | 9. Scepentoms-Recht / Aes-<br>doms-Recht. |
|   | 10. Hypræ.                                |

Quoties lis in potentiolem transfertur, quod fit si alienatio & ut loquitur capitulum 1. hic. commutatio fit possessionis, ex capite quo majus negotium quis facessat adversario, restitutionis alienationis hujus species prodita est. Intelligitur autem alienatio illa tantum, quæ fit inter vivos, quoties possessio alienatur in ejus fraudem, qui controversiam facturus erat, ut notat Cujacius in l. 4. §. facta. Padius & §. ult. ff. h. t.

In cap. ultimo rescribit Gregorius IX. Abbati S. Nicolai & Decano Furnensi. Ita enim legi oportet, Morinensis diœceseos. Abbatia Furnensis fundata est à Theoderico Rufo, Fopoldi filio anno 1120. approbante Carolo bono Flandriæ Comite. Donatio nis instrumentum exhibet Miræus inter donationes Belgicas. Johannes Episcopus Morinensis possessiones ejus Abbatia confirmat eodem anno. Calixtus II. Pontifex eas in tutelam suscepit anno 1124. Milo Morinensis Episcopus immunitatis concedit privilegium anno 1135. Morinensis Episcopus olim erat sub Archiepiscopo Rhemensis. Morini, populi Gallia Belgica, in eo tractu ubi nunc pars occidentalis Flandriæ, inter Legiam fluvium, & oceanum Germanicum, inque Picardia & Artesia confinio. Caput erat Tervana à Carolo V. excisa. Vide Eclog. 3. cap. 8. & Eclog. 4. c. 3. Successit in Episcopatu Audomarum, Bononia & Ipræ, & sic ex uno tres Episcopatus orti.

Ait textus: Ex parte Scabinorum Hipretis. Scabini erant Scabini, Judices tempore Francor. ex ordine plebis, quorum eligendorum quales ju-



*Feynieri,  
Feimerii,  
Sciti.*

*Scepen:  
Recht/  
Aesdoms:  
Recht.  
Hypra.*

Jus Legati regii habebant. Vox merè Franco-Germanica. Glossæ: *Scepeno*, Judex. *Freber. de secret. Westph. Judiciis. Griphander de Weichbild. Saxon. c. 64. n. 4. Johannes Trithemius de Grammaticâ Theotisca Imp. Caroli M. ab Otfrido absolutâ*, ita: Hodie Scabinos, vulgò Feynieros, Latine autem Scitos appellamus, qui notis utuntur occultis, quibus se mutuo Scitos intelligant, judicium in reos, quod Carolus dedit, usque in hodiernum diem per successionem electionis facientes. Profert hunc Trithemii locum vir profundæ & inexhaustæ eruditionis P. Lambecius, Bibliothecarius Cæsarius *lib. 2. biblioth. August. Vindobon. c. 5. pag. m. 465.* Est vetus Hollandiæ jus, quod Scabinicum dicitur, vulgò *Schepens-Recht* cui opponitur jus Asingicum, vulgò: *Aesdoms-Recht* / *Lambert. Goris advers. tract. 2. c. 4. n. 1.*  
Ait textus: Scabinor. Hipretis. Hypræ, Yperen urbs Episcopalis Flandriæ sub Archiepiscopo Machliniensi.

## C A P. XI.

### Ad capitulum IV. x. de Arbitris.

#### S U M M A R I A.

1. *Hypothesis cap.*
2. *Hospitalarii Senonenses.*
3. *Usuarium nemoris.*
4. *Fagetum.*
5. *Alionara Regina Francia.*

*Hypothesis  
cap.*

*Hospitalarii  
Senonenses.*

*Usuarium  
nemoris.*

*Fagetum.*

*Alionara  
Regina  
Francia.*

**C**Um Abbas & Conventus de Scardunâ, Cisterciensis ordinis ex unâ parte, & Hospitalarii, super usufructu cujusdam nemoris, compromississent in Reginam Francorum, Regina ex consilio quorundam Episcoporum sententiam definitivam pronunciavit. Sed Hospitalarii ei non parebant. Pro *Hospitalarii Senonenses.* Conventu de Scardunâ in III. compilatione legitur, de Escad. Ibi & Hospitalarii designantur, nempe, de Ceresois, Senonensis dioceseos. Per *Usuarium* innuitur servitus usus in nemore, consistens in jure cædendi ligna, & pascendi pecora in alieno fundo, ut tradunt Hostiensis & Panormitanus. In III. Compilatione additur: Nemoris Inochia, quod dicitur Fagetum & territorio Vall. mortui. Regina Francorum ibidem vocatur carissima in Christo filia, Alienora. Fuit Ludovici junioris uxor. Hospitalarii adibant

ibant Pontificem, qui rescribit Cancellario & Magistro Lothario Canonico Parisiensi, ut sub pœnâ compromisso statuta Hospitalariis iubeant arbitrio parere.

## CAP. XII.

## Ad Capit. V. de Arbitris.

## S U M M A R I A.

1. *Abbatia Pigaviensis vel Pegaviensis.*
2. *Wipertus Comes in Groizch.*
3. *Monasterium Pegaviense exemptum.*
4. *Privilegium exemptionis.*
5. *Quâ de re lis inter Episcopum Merseburg. & Abbatem Pegav.*

**H**Æc decretalis directâ est ad Abbatem & conventum de Pigavia, ut expressit loci nomen Raymundus. In collectione III. legitur de Pigamia, alibi Pisania. In MSCto Salano, Pygavia. Rectè. Ita enim vocatur oppidum, quod tertio lapide à Lipsiâ distat & alluitur Elstrâ, vel Elistrâ fluvio. In chronico Monasterii hujus oppidi scribitur, *Bigaugia, Pigaugia, itemq; Pigavia, Begaviâ, ut Langius in chronico Citizenfi p. 784. effert*; denique Pegavia, vetus patrimonium Wiperti Comitis Groicensis, & Marchionis Lusatiae, in qua adhuc hodie hujus sui fundatoris, Wigberti vel Wiperti Comitis ossa visuntur. Historiam hujus Wiperti magnâ diligentia congregavit Henr. Bangertus ad Helmoldi *chronicon Slavorum, lib. 1. à pag. 101.* Scribit itaque Innocentius III. Abbati & conventui Monasterii S. Jacobi Pegaviensi, quibus lis erat cum Episcopo Mersburgensi super libertate monasterii Bigaugiensis seu Pegaviensis. Pertinet ad hanc eandem litem & cap. ult. *Infra de probat.* Lis inde erat: Wipertus anno MCVI. de consilio Abbatis Pegaviensis misit Romam, supplicans, ut locus Pegaw per Papam eximeretur à potestate cujuslibet alterius, obtinuitque privilegium à Paschali II. Pontifice: Cujus excerptum habetur apud epitomatores chronici Latini, quem Dn. Maderus antiquitatum indagator laudatissimus exhibet, id ita habet: *Pascalis Episcopus, servus servorum Dei, fidelibus per Saxoniam Sal. & Apost. bened.*

*Desiderium &c. Wicpertus siquidem, Saxonica gentis illustris Comes in Merseburgensi parochiâ, in loco prædii sui, quod Bigauvia dicitur monasterium &c. quod obtulit S. Petro &c. Apostolica sedis juri in perpetuum mancipavit: Advocatiam tamen monasterii ipse habiturus excepit. Integrum hoc privilegium habet editio Latina plenior, à Reineccio procurata.*

*Quâ de re  
lis inter  
Episcop.  
Merseburg.  
& Abbatem  
Pegav.*

Cum itaque Episcopi Merseburgenses non desinerent Abbatem suæ potestati vindicare, compromissum fuit in arbitrium Archiepiscopi Magdeburgensis, qui re cognitâ sententiam promulgavit, à quâ cum appellatum esset ad Pontificem, Pontifex sententiam confirmavit, exceptis capitulis, quæ spectabant ad libertatem ipsius monasterii & duarum capellarum ejusdem. Rationem, cur in hisce capitulis pro Abbate pronunciaret, reddit Innocentius, quod etsi sponte voluerit Abbas, tamen de jure non licuerit sine licentiâ Romani Pontificis renunciare exemptioni. Duravit tamen lis ista etiam posthac, usque ad Pontificatum Honorii III. ut habetur in chronico Montis-Sereni, à Madero edito. Nimirum semper malè habuit Episcopos, quod Abbates aliqui suâ potestate eximantur. Vocabant eos ideo Acephalos, ut videre est ex Goffrido Vindocinensi *lib. 2. Epist. 27.* Et apud Ivonem *parte 6. de clericis, qui nulli parent Episcopo*, ubi: Tales acephalos, id est, sine capite prisce Ecclesiæ consuetudine vocari ait.

Quod nomen tamen immerito eis exprobratur, qui sedis apostolicæ privilegio nituntur. *Vide Sirmondum ad G. Vindocin. p. 39.*



I N D E X



# INDICES

ad modum, quo in primo Semestri cœpti,  
continuati.

I.

## Auctorum.

A.	
<b>A</b> bbas Urspergensis.	9.4.71.
<i>Actius.</i>	7.18.31.
<i>Agobardi</i> liber adversus legem Gundobaldi.	9.15.85.
<i>Aimonius.</i>	7.15.23.
<i>Aimonii</i> continuat.	8.9.51.
<i>Alanus.</i>	7.11.18.
Gabriel <i>Albaspinaus.</i>	7.21.36.
<i>Alciatus.</i>	9.1.65.
Dadinus <i>Alteserra</i> notatur.	8.17.60. 8.18.62. 9.3.67.
<i>Ammianus.</i>	9.1.65.
<i>Pseudo-Anacletus.</i>	8.2.42.
<i>Arsenii</i> synopsis.	7.15.22.
<i>Artemidorus.</i>	7.1.2.
<i>Asconius</i> Pedianus.	9.20.94.
Anton. <i>Augustinus.</i>	7.2.4.
notatur.	7.17.29.
B.	
<i>Balsamo.</i>	7.6.10.
Stephanus <i>Baluzius.</i>	7.3.5.
laudatur.	8.6.47.
Codex vetus <i>Barcinonensis.</i>	8.12.54.
<i>Barclajus.</i>	9.12.81.
<i>Baronius.</i>	7.2.46.
<i>Barrius.</i>	8.14.57.
<i>Beda</i> histor. Eccles.	9.8.76.
<i>Bellarminus.</i>	9.10.78.
<i>Historia Bencarn.</i>	9.15.87.
<i>Benedicti</i> Levitæ Capitularia.	7.15.25.
Monachi <i>Benedictini</i> collectio monasteriorum fundatio- num.	9.14.83.
Philippus <i>Berterius.</i>	9.13.82.
<i>Bignonius</i> laudatur.	7.15.24.
<i>Bivarius</i> ad Flavii Lucii Dextrî chronicon.	10.4.99.
<i>Blasares.</i>	7.21.36.
Thomas de <i>Blawis.</i>	8.3.43.
<i>Blondellus.</i>	7.21.38.
<i>Blondus.</i>	9.6.74.
<i>Bosquetus.</i>	7.9.7.
Martinus <i>Bracarensis.</i>	7.20.33.
Adamus <i>Bremensis.</i>	7.6.11.
<i>Historia</i> Archiepiscopatus <i>Bre-</i> <i>mensis.</i>	7.9.16.
<i>Burchardus.</i>	7.15.23.
C.	
<i>Cæsarius.</i>	8.8.50.
	Ju-

o

I N D E X.

<i>Julius Capitolinus.</i>	7. 5. 8.	<i>Pictaviense secundū.</i>	7. 2. 4.
<i>Capitularia Caroli M.</i>	9. 15. 86.	<i>Romanum.</i>	9. 15. 87.
<i>Capitularia Ludovici.</i>	7. 5. 8.	<i>Romanum sub Sylvestro.</i>	8. 2. 42.
<i>Casaubonus.</i>	8. 5. 46.	<i>Suessionense.</i>	7. 5. 8.
<i>Cassiodorus.</i>	8. 11. 53.	<i>Toletanum.</i>	7. 7. 11.
<i>Petrus Cellensis.</i>	8. 4. 44.	<i>Tridentinum.</i>	7. 1. 3.
